Half-mor.

PVBLILII OPTATIANI PORF

CARMINA.

RECENSVIT ET PRAEFATVS EST

LVCIANVS MVELLER.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXXVII.

PVBLILII OPTATIANI PORFYRII

CARMINA.

RECENSVIT ET PRAEFATVS EST

LVCIANVS MVELLER.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXXVII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

VIRO · EXCELLENTISSIMO

IOANNI · DAVIDIS · F · DELIANOFF

HVMANITATIS · STVDIORVM

PATRONO · ACERRIMO

D · D · D

LVCIANVS · MVELLER

a*

L. S.

Mirifici et incogniti uolgo nec tamen indigni memoria poetae carmina denuo edere cum placuisset nobis idoneum apparatum criticum nactis, iam a. 1870 librum quem manibus tenes excudendum tradideram typographis. Et uideo a nonnullis litteratis referri de eo tamquam emisso. Sed illi cum procrastinarent laborem propter difficultatem operis, ego Vaticani codicis auctus collatione, quam commodarat Ludouicus Ieepius, antequam abirem in hanc urbem, repetii schedas retractaturus, simul ut librum aptiorem redderem ad legendum. Quem uariis deinceps casibus tardatum nunc demum post Lucilium editum absoluere nobis licuit. Id tamen mora ista habuit commodi, quod anno proximo praegresso etiam Parisinorum codicum descriptionem satis accurate factam accepimus et mox ipsi inspeximus eosdem.

Dabam Petropoli Kal. Martiis A. MDCCCLXXVI.

PROOEMIVM.

Alexandrinorum poetarum tempore cum magni illi fontes musici, quibus antiquissimi Graecorum ora sua irrigauerant, in tenues diduci coepti essent riuulos, abiectis plerisque metrorum quibus prisci illi erant delectati, siue ea incuria fuit siue ignorantia, nouas facetias commenti sunt auctores ad lectorum uincendum fastidium. Sane uetusti lusus poetici, paene ut eodem tempore artificia metrorum uideantur prouenisse, quo ipsa ars inualuit. Nam et Lasos, qui Pindarum dithyrambicam artem docuit, carmina *ἄσιγμα* composuisse dicitur, et Simonidi, cum Herculem laudasset metris hisce:

Μοῦσά μοι Ἀλκμήνης καλλισφύρου υἱὸν ἄειδε
υἱὸν Ἀλκμήνης ἄειδε Μοῦσά μοι καλλισφύρου,

Timocreon *παρῳδήσας* ita rescripsit:

Κηῖα με προσῆλθε φλναρία οὐκ ἐθέλοντα
οὐκ ἐθέλοντά με προσῆλθε Κηῖα φλναρία.

Mox et acrosticha et telesticha ac similiter in litteris positas obseruantias nec minus uersus recurrentes siue cancellatos et qui per epanalepsis schema decurrunt aliaque id genus prompsere; praeterea pleraque artificia, siue praestigia dicere males, accessere ex lectione scholastica exempli Homerici, in quo uersus *ἰσοψήφους* et *πολιτικούς* et *ῥωπαλικούς* et quid non agnoscere sibi uisi sunt docti.

Intenderunt rem Romani praeter imitationem Alexandrinorum etiam incompti decoris odio. Porro quo grauior euenit uergente ac senescente antiquitate materiae inopia, eo magis optinuit facetiarum ac ludibriorum cuiusuis modi studium.

Verum omnium aetatium gentiumque quotquot inueniri possunt fingique praestigias metricas superasse longe censendus est Publilius Optatianus Porfyrius, de quo quae diximus in libro nostro pg. 466 hic ex parte repetentur.

Igitur Porfyrius (ita ipse nomen suum uidetur scripsisse), de quo paucissima nobis sunt tradita praeter ea quae carminibus suis inseruit, Constantini Magni tempore florens ille, qua patria quoue genere sit natus non satis comparet. Magis tamen res certa de terra natali. Neque enim falsi uidentur illi, qui Africa eum oriundum esse existimarunt, minus quidem ideo, quod plerosque Optatos siue Optatianos in Africa floruisse asserit Wernsdorfius, quam ob hanc causam.

Nempe uersus anacyclici Iorfiri qui Salmasiano codice propagati in anthologia extant Latina (III, 89 B. 236 M.) quin recte tribuantur Porfyrio, non uidetur esse dubitandum. Iam uero omnes sylloges quae istis membranis tradita est auctores, quorum de patria constet, praeter nomina clarissimorum poetarum quae recte seu secus ibi occurrunt, Vergilii, Propertii, Ouidii, Martialis, Senecae, satis apparet fuisse Afros, facili ut ductus coniectura cum reliquis etiam Porfyrium illum eadem prouenisse terra existimes. Et Afros, ut sunt natura singulari, semper uasta et incredibilia concupisse ipsi docent scriptores ecclesiastici.

Porfyrium inter primores fuisse ciuitatis ipsa quam Constantinus ad eum dedit epistula comprobatur: neque enim plebeiae sortis hominem fratris carissimi appellatione dignaturus fuit imperator. Ceterum ille in exilium actus incertis causis, quas, ut olim simili calamitate collapsus Ouidius, partim falsas fuisse memorat, partim leues. Nam ita ait in quodam carmine:

respice me falso de crimine, maxime rector,
exulis afflictum poena. nam cetera causae
nunc obiecta mihi uenia, uenerabile numen,
uince pia et solito superans fatalia nutu
sancte tui uatis Caesar miserere serenus.

Vtut res habet, lare suo et nato orbatum in exilium ire oportuit, incertum quo, nisi quod locum non magis fuisse amoenum quam olim Tomi uisi sunt Nasoni ipse aperte declarauit in praefatione his uersibus:

hos habitus uatis praesentia fata merentur:
uix locus hoc saltem praebuit, unde uenis.

Igitur angore peresus ac praesentium rerum taedio difficillimum opus aggressus est, in quo quin per sat multos sudarit menses non potest dubitari, panegyricum Constantino imperatori dicatum, quem si modo peruersa accuratissime executos aliqua laude dignos putabimus non decet praeteriri silentio. Etenim ut non magni spiritus, ita hautquaquam inepta sunt opuscula pleraque sed quae plurimorum car-

minum Latinorum aequent mediocritatem, saepe quidem obscuriora illa et impeditiora ob difficultatem praestigiarum. Quod cum ita sit, dubito plerumque, an magis excusandum existimem Porfyrium quam Nasonem, cum hic exilii desperatione lectorum animos, ille oculos fatigarit.

Insunt autem in eius poematis, quae ne Graeca quidem facilitate assequi liceat ludibria.

Quando editus sit panegyricus primum declaratur uersu illo (XVI 35):

uirtutum meritis uicennia praecipe uota.

Itaque scriptus est et dicatus uicennalibus Constantini eis, quae finito consilio oecumenico, anno imperii XX inito, Nicaeae siue Nicomediae celebrauit Constantinus. Magis tamen inclinat animus, ut existimem Nicomediae oblatum Porfyrii panegyricum Constantino, consideratis uersibus illis in carmine, quod primum a nobis publici iuris factum est:

hos rupes Cirrea sonet uideatque coruscos
Ponti nobilitas, altera Roma, duces

Sane Nicomediae a tempore inde Diocletiani, quem studuisse eam Romae coaequare refert Lactantius (d. m. p. c. VII), saepissime commoratos esse imperatores Romanos constat inter omnes. Et eandem Iuliano Caesari propter magnificentiam operum publicorum pariter et priuatorum uelut partem uisam urbis Romae narrat Ammianus XXII, 9, 3.

Hinc non mirum quod Crispi ut florentis et nondum concussi meminit Porfyrius, cuius res posterius sunt euersae.

Ceterum uix est quod moneam panegyricum festae quam dixi occasioni ob eam potissimum causam destinatum fuisse a Porfyrio, quod solebant fere imperatores, quando decennalia siue uicennalia uel similia celebrabant, tollendis siue mitigandis poenis damnatorum fauorem quaerere populi. Neque poetam spes sua falsum habuit. Nam Constantinus opere oblato admodum delectatus reuocauit eum ab exilio.

Id quando factum sit etsi non satis constat, tamen omnes probabilitatis implet numeros, eo ipso tempore, quo uicennalia celebrabat Constantinus, ueniam datam poetae. Itaque falsus est, ut saepe, Hieronymus, qui eum XXIII demum Constantini anno ab exilio reuocatum tradidit, nisi potius quam ipsius librariorum id factum incuria, qui possunt uideri ea, quae de Porfyrio erant tradita, subtracta suo loco adiecisse eis, quae de Iuvenco, celeberrimo poeta christiano, aequali eius, tradiderat Hieronymus.

Quantum ad epistulas Porfyrii et Constantini, praemissas panegyrico, quas fuit qui uocaret in suspitionem, non credo ab interpolatore esse fictas; sunt certe dignissimae saeculo Constantini, ab simplicitate ut sentiendi ita dicendi remotissimo illo, et in quo Eumenii et Nazarii floruere. Quod contra apparet non recte illas praemitti ei uolumini carminum quo sub uicennalia Constantini imperatoris edito exilii ueniam Porfyrius et rogauit et impetrauit. Nimis quippe foret mirum, si hac essent scriptae occasione, in neutra aut poenae initae demptaeue aut uicennalium illorum uel minimum apparere uestigium. Nam quod clementiam Constantini et merita in se iactat Porfyrius, apparet nihil indicari nisi fauorem Caesaris per carmen antea partum. Accedit quod in epistula semel antea oblatum a se Caesari carmen artificiis insigne refert Porfyrius, contra in distichis panegyrico exilii tempore scripto praemissis se plura ad eum dedisse demonstrat. Neque probabile est Constantinum eum, quem modo exilio leuasset, honorificentissima pariter atque amantissima fratris carissimi appellatione fuisse dignaturum. Itaque sic statuendum existimo: Porfyrium cum primum carmen artioribus, ut ipse ait, Musarum uinculis illigatum in honorem scripsisset Caesaris, excitatum huius laudibus totum uolumen carminum uariis argumentis constantium et difficultate artificiorum insignium ei dedicasse, eiusque rei praemium tulisse imperatoris illam epistulam. Quod quidem euenit utique uicto Licinio, post cuius cladem Inuicti cognomen adsumpsit Constantinus. Idem cum ederet uolumen, quod exstat, cui aliena a panegyrico, uicennalibus Constantini oblato, addita sunt opuscula, epistulas et suam et imperatoris uidetur adiecisse libro, ut commendaret opus aequalibus et ludibriorum usum nimium auctoritate adprobaret Caesaris. Contra ad solum panegyricum uicennalibus huius dicatum spectat praefatio distichis conscripta.

Ceterum si recte statuere docti, id quod mihi uidetur uix dubium, hunc ipsum esse Publilium Optatianum, quem praefecturam urbis annis 329 et 333 gessisse, sed non ultra menses singulos, scimus, apparet poetam non modo restitutum in pristinum honorem a Constantino, sed paullo post etiam prouectum dignitate. Neque dissimile est ueri ab hoc genus ducere Porphyrium illum, quem Africae proconsulem sub Honorio fuisse constat. Familiariter cultum a poeta Bassum quendam demonstrat carmen illud 'pauca quidem cecini fors friuola. his quoque iungam'. Quem uolunt illum Bassum, qui anno 317 consul suffectus, 313 praefectus praetorio fuit, siue eum, qui consul fuit anno 331, 327 praefectus praetorio, quem deinde saepius iterauit honorem. Illi,

qui uidetur idem fuisse cum eo qui praefecturam urbis gessit a. 317, 318, Septimii fuit nomen gentile.

Denique quis fuerit Graecus ille amicus, nomine Marcus, quem ob diuortium Hymnidis uxoris solatur· uersibus quorum primus est 'ingemui grauiter Graecum miseratus amicum', equidem iuxta cum ignarissimis ignoro, nec minus ad quem datum sit carmen illud 'mirum opus est iunctos en tales edere uersus'.

Christianorum secutus sit sacra an paganorum Porfyrius non satis apparet. Paene dixerim utrique addictum fuisse religioni, nisi adulatione lapsus illius, quam primus inter imperatores Constantinus promouit, affectauit studium. Ceterum si paganis accenseri eum oportet, fuit qualis Symmachus uel Ausonius, si christianis, qualis Sidonius uel Boetius. Vnde miror adeo a carminibus eius abhorruisse Bedam, ut ea quia pagana essent attingere non sustineret. Sed eum non nisi fando Porfyrii exemplaria cognita habuisse mihi quidem constat, nec tamen, ubi mentionem inicit illius, solo Hieronymi testimonio usum esse sat apparet.

Eum, qui tam subtilia tamque artificiosa carmina conscripserit, fuisse hominem pridem exercitatum uersibus pangendis non est quod dicam. Et ipse rem affirmat Optatianus in praefatione uoluminis et porro in primo carmine, ubi diuersos habitu olim a se libros Constantino missos asserit:

quae quondam sueras pulchro decorata libello
carmen in Augusti ferre Thalia manus.

Neque inglorium se fuisse inter aequales significat ibidem:

purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,
ut quondam, scriptis ambitiosa tuis.

Eundem Serenum secutum et Annianum opuscula ruralia composuisse ipsius testimonio firmatur. Nam ita ait in c. quodam:

ista canit ruris tibi uates ardua metra.

Quod cum ita sit, facile possis induci, ut uersum circa finem centimetri Seruiani positum:

ire cupis si rus, mala uites omina quaeso,

qui cum retro legitur fit sotadicus:

quaeso omina uites mala, rus si cupis ire,

Porfyrii huius esse existimes, nisi satis constet falsum illum Seruium quidquid affert exemplorum proprio finxisse periculo. Maiore illi tribuas iure quae reciprocorum uersuum exempla apposita a Diomede et Victorino pgg. 515, 6 et 2561, 2 leguntur in appendice huius libri. Non enim credo ea arbitrio grammaticorum ficta. Et talium lusuum non in panegyrico solum ad Constantinum dato, etiam alias fuisse studiosum, ut epistula, de qua supra dixi, ita probatur anacyclicis illis uersibus, quos in libro Salmasiano extare supra memoraui, nec minus carminibus, quae in nostra editione leguntur media inter panegyricum et illos.

Denique quaedam ex epigrammatis Porfyrii adfert Fulgentius in expositione continentiae Vergilianae et in libris mythologicon. Quae, etsi illum dubiae fuisse fidei hominem constat plerisque, tamen sat probabiliter auctori panegyrici Constantini adscribi doctis adsentior.

Panegyricus eius quam fuerit celeber exeuntis temporibus antiquitatis, quibus ob defectum materiae carmini aptae ualde fuisse accepta ludibria artis qualiacumque supra memoraui, Hieronymi, qui insigne illum uocat uolumen, testimonio docemur. Iam ut potissimos huiusmodi enumerem, Porfyrium, ut puto, imitatus acrostichis, mesostichis, telestichis distinctum carmen ad Hildericum Vandalorum regem edidit Felix (anth. Lat. B. III, 34; M. 291), de quo primi nos monuimus.

Similis etiam illi ludibriis artis Venantius, cuius hic memoranda carmina de signaculo sanctae crucis et de sancta cruce nec minus quod ad Syagrium Augustodunensem episcopum dedit (II, 4; 5; V, 7). Qui tamen quod rem exemplo carentem promere se declarat, Porfyrii panegyricum aut ignorauit aut, quod magis est probabile, dissimulauit.

Inter medii aeui doctos aequauit ac paene dixerim superauit Optatiani diligentiam quamquam uersuum arte multo inferior illo Hrabanus Maurus carminibus sanctae crucis laudi dicatis, quae Sedulii ac Prosperi exemplis ductus etiam pedestri sermone circumscripsit. In his plerosque lusus litterarum similes Porfyrianis, quos se sequi profitetur, agnosces; nec minus figuris uarii generis interstincta opuscula illa, quae nuper splendidissime edidit Adolphus Henzius. Eis ipse Maurus addidit declarationes. Hoc aliquando in bibliothecis cum Porphyriano libro iunctum inuenitur uolumen.

Praeterea in codice Bernensi 212 post panegyricum Constantini habes carmina quadrati forma et multiplicatis acrostichis, mesostichis, telestichis insignia Alcuini, Iosephi abbatis Scotti, Teudulfi episcopi. Eorum uersus initiales sunt hi:

Alcuini

crux decus es mundi Iessu de sanguine sancti.

Iosephi

primus auus uiuens en nos in morte redegit.
dic, o Carle, putas quae uerae signa salutis?
uita salus uirtus uerbum sapientia sponsus.
inclyta si cupias sancti sub culmina templi.
magna quidem pauido praebet fiducia uati.

Teudulfi

omnipotens dòmine et pacis donator in aeuum.

Porro Abbo Floriacensis saeculo X ex Porfyriano utique sibi codice exemplum sumens pari arte compositum carmen ad Ottonem Caesarem dedit, cuius hoc est principium:

Otto ualens Caesar nostro tu cede coturno.

Denique in ipso fine medii aeui Iohannes Stabius, poeta Caesareus laureatus, qui in aula Maximiliani imperatoris floruit, edidit carmen quoddam, ut ipse ait, ad imitationem Porphyrii nuper a se reperti compositum, quo festum in urbe Vindobonensi introitum principis celebrauit.

Ceterum cum tanta per medium aeuum floruerit existimatione Porfyrius, non poterit esse mirum ferri codices eius operis sat multos nec minus constare de excerptis carminum eius compluribus, quibus hic illic uacuas chartas repleuit librariorum sedulitas. Nam ut mittam, quibus Stabius et Velserus usi sunt, libros — qui ubi terrarum lateant hodie ignoratur —, duas Pithoeus membranas in edendo panegyrico adhibuisse cognoscitur. Sed de his infra dicetur nec minus de libris a me usurpatis.

Iudices post restaurata humanitatis studia expertus est Porfyrius nec multos (uix enim ullus extitit scriptor antiquitatis, pauciores cui contingerent nouello tempore lectores) et satis acerbos. Velseri quod fuit de Optatiano iudicium infra ponetur. Nec benignior hoc Wernsdorfius, qui sic existimat de eo (p. L. m. II, 368) 'propter continuos illos litterarum et figurarum lusus ipsis uerbis nihil fere recti ingenii et spiritus poetici, quin parum sani sensus inest, et carmina ipsa cum legentibus difficillima intellectu sunt, sensu rerum ubique tot nugis obruto, tot uerborum et litterarum uinculis illigato, tum minime omnium ad legendum proponi uel commendari merentur'.

Ego me a iudicibus tam seueris quadamtenus dissentire non nego. Etenim modo ne illorum accedendum putes insaniae, qui parui atque adeo nullius esse momenti existimant uersuum curam in carmine, fatendum nullum extitisse auctorem, qui pari sermonis patrii ac modulorum poesis legitimorum peritia diligentiaque excelluerit ac Porfyrius. Admiramur dithyramborum audaciam et solutos lege numeros: erit etiam loci quiddam ita adstrictis, ut ne minimus quidem locus datus sit licentiae. Itaque Porfyrii carmina, licet principiis stent peruersis, non poterunt nulla laude uideri digna. Ceterum quid mihi iudicandum uideretur de istis iam supra demonstraui. Reperiri in eis propter difficultatem operis haud ita pauca absona uel obscura atque intricata, ut coniectare magis possis, quid sibi uoluerit, quam demonstrare, quae quidem, absque illa fuisset, facile licuerit uitari, non est quod mireris. Sed tamen aliquanto aptiora pleraque eorum sunt ad intellectum, quam Graecae anthologiae opuscula haud dissimilia. Etiam proprietati suscepti operis tribuendum illud quod epitheta uasta uel onerosa ac traiectiones uocabulorum et sensuum seu uerborum repetitiones inuenimus haud infrequenter uel aliquando sententias parum apto ordine procedentes. Sermo tamen ad optimorum auctorum exemplum conformatus, maxime ad Vergilii et ad Ouidii. Idem poeta aliquando in metri legibus liberior, maxime circa hiatus; et hic illic usurpat licentias quae christianorum in libris solent reperiri, ex quo genere est quod interdum *qu* duplicis, *h* simplicis uice consonae fungitur.

Ceterum praeter ingenii amoenitates duplicem ob causam cognitu dignissimus est libellus Porfyrii. Primum enim ad historiam Constantini imperatoris cognoscendam adfert quaedam, eo magis utilia, quod ab aequali illius sunt narrata. Deinde cum hic solus inter omnes quotquot extant auctores Latinos uel Graecos is existat, cuius placita ad flexiones uerborum et ad rectam scripturam pertinentia ex magna parte nobis constent certa nec dubitationi ulli obnoxia propter singularem scriptorum eius naturam, non ingratam opinor philologis rem suscepi, quod uerborum formas singulares et memoria aliqua dignas accuratissime collectas proprio indice proposui. Cuius rei eo maior uidebitur utilitas reputantibus et floruisse Porfyrium saeculo quamquam vergente in barbariem, minime tamen inculto, et fuisse eum, siquis fuit alius, gnarum sermonis Latini. Nam etsi quasdam metrorum siue quantitatum licentias difficultati operis concessit, eo maiore cum cura cauit, ut integrae seruarentur flexiones uocum cum orthographia; in quo plane studio apparet eum fuisse ambitiosum. Quod cum ita sit, non potest esse mirum, quod uetustissimarum membranarum aut

parium fide inscriptionum testimonia saepissime confirmantur libro Porfyriano; a quibus ubi dissentit, timebimus plerumque eius auctoritatem eleuare, cum et has doctrina multum superet nec minus aetate illas.

Ipse Porfyrius, ut artificia uersuum suorum lecturis plene apparerent, praeter praefationem carminis XIX ed. Vels., modo sit ipsius, satis habuit, siqua figuras opuscula repraesentarent, eas uersuum spatiis aequari et praeterea minio insigniri acrosticha et telesticha et reliquos litterarum lusus. Ceterum extitit qui scholiis inlustraret eius librum satis quidem dilucide et commode, hic illic tamen minus docte, ueluti cum metrum illud 'princeps beate placido sub axe iamnunc' ex dimidio iambico et dimidio trochaico constare dicit. Hominem fuisse christianorum fidei addictum satis apparet; nomen perinde incertum quam aetas, ut tamen exeunte antiquitate seu circa medii aeui initia uixisse eum coniectura probabili uideamur adserere.

His expositis age disseramus de codice archetypo librorum Porfyrii.

Igitur Carolingica aetate in Gallia, quae quantum fecerit medio aeuo ad studia humanitatis alenda ac sustentanda dici uix potest, extitit liber quidam Porfyrii (integer fuerit etiamtum an mutilatus equidem non ausim discernere), qui praeter panegyricum Constantini contineret quaedam eiusdem auctoris a sylloge illa aliena, ita quidem ut singula carmina exceptis eis, quae nimis essent minuta, cum scholiis nec minus epistulae Porfyrii et Constantini singulis essent perscripta paginis, siue uacuae relicta erant partes auersae siue et ipsae adhibitae a librario. Ceterum de hac codicis archetypi forma etiam testantur scholia. In codice tali solutis semel et confusis paginis quod magnae sunt exortae ordinis legitimi turbae, nemini hercule erit mirum. Et primum quidem inuersis nempe ultimis uoluminis paginis euenit illud, ut carmina

ardua componunt felices carmina Musae
pauca quidem cecini fors friuola

in finem panegyrici deferrentur, simul expulso eo, quod antiquitus erat ibi repositum:

alme tuas laurus aetas sustollet in astra.

Ex archetypo tali, mediocriter, ut uides, deprauato, duplex genus ortum est codicum.

Prioris luculentissimum longe et plenissimum specimen habetur libro Bernensi, quo omnia continentur carmina Porfyrii praeter illa

prodentur minio
o qui Tartareas.

Alterum, quo etiam haec exhibentur omissis tamen prohoemiis quae sunt

imperii fastus
sunt septem numeroque pares,

Velseri membrana et Parisina altera est propagatum. Hoc ut integritate magis praestans, ita interpolationibus est deforme (etsi hic illic meliora praebet quam Bernensis uel eius similes) et magis aliquanto quam ante turbato paginarum ordine legitimo.

Alterius ut generis fata persequar, etiam ex archetypo tali fere, quali Bernensis codicis librarius usus est, magis tamen turbato et cui omnia dessent, quae in hoc leguntur post subscriptionem infra proponendam, ductum est exemplar Vaticanum pariter ac membrana Iureti. Prior Parisinus quin ex Bernensi sit descriptus, adhibito tamen simul libro interpolato, qualis fuit Velseri, non potest dubitari, cum et eadem plane eodemque ordine exarata in utroque reperiantur libro et lacunae codicis Parisini in epistula Porfyrii origo inde haud dubie sit repetenda, quod uersum, qui efficitur uerbis omissis in Bernensi libro, neglexit errore uulgari admodum incuria eius qui descripsit Parisinum. Ceterum simillimus Parisini fuit liber Pithoei, excepto quod omissa erant in eo organon et illa

Calliope cane plura,
alme decus mundi,

nec minus epistulae Porfyrii et Constantini. Carminum paenultimi ultimique quod permutati sunt loci in editione Pithoei, id uero quin huius euenerit arbitrio mihi quidem non est dubium.

Denique ad hanc familiam codicum pertinet liber Monacensis.

Haec breuiter modo enarrata uera esse et indubia facile apparebit legentibus ea quae de singulis mox proponentur codicibus Porfyrii.

Lectores a saeculo inde XVI paucissimos nactus est Porfyrius eosque ex maiore parte historicos: nam grammaticis et lexicographis omni pariter tempore fuit ignotus; et ne ei quidem qui carmina eius typis expresserunt, perquam exigui illi numero, satis curiose legerunt. Vnde in recentissima Mignii recensione Publius audit pro Publilio.

Igitur primum anno 1590 inter epigrammata et poematia uetera a Pithoeo publici iuris facta, quae postea saepius typis sunt repetita, prodiit Porfyrii liber, ex ipsius, ut uidetur, Pithoei codice editus, sed minime plenus; quamquam pars eiusdem hoc est carmina quae sunt apud Velserum numero XXIIII, XXV, XXI, III cum epistulis Porfyrii et Constantini ex uetustissimo Francisci Iureti libro in fine est adiecta. Praeterea apud eum reperiuntur I, VI, V, XV, XXII, XXIII, XVII, XX, VIII, VII, XIII, XVI, X, XI, XXVI, ut tamen ex hoc nihil habeat nisi primos quattuor uersus.

Codex Pithoei, ut supra memoraui, ex deterioribus est ususque parui; quem superat longe bonitate liber Iureti. Neutrum ex his Lutetiae in bibliotheca publica extare, id quod olim eram suspicatus, praesenti usu librorum Parisinorum iam habeo compertum. Nam nequis credat Pithoei librum eundem atque Parisinum priorem, ea re prohibetur, quod hoc continentur omnia quae ex Iureti membrana adiecta sunt deinceps á Pithoeo, nec minus quod compluribus locis, ubi hic testatur codicem suum mendosum uel mancum Parisinus plane est integer et incorruptus. Omnino lectionum satis magna inter utrumque librum intercedit uarietas.

Pithoei liber cum expressus sit minoribus litteris, satis commodus est ad legendum; sed uerborum et litterarum lusus illi multiformes cum nullis signis sint eximii, ut iucunditatis ita utilitatis multum huic Porfyrii carminum editioni periit.

Quinque annis interiectis totum Porfyrii uolumen praeter ea quae nos primi publicauimus prodiit Augustae Vindelicorum ex codice manuscripto Paulli Velseri, qui fuit de inclita illa non diuitiis magis ac nobilitate quam litterarum studio gente Augustana, de qua totiens cum laude memorauere docti.

Is ignarus, quod mirere, libri Pithoeani ex unico qui praesto erat ipsi codice, satis quidem multis locis corrupto illo, Porfyrii edidit panegyricum. Liber satis dilucide expressus, eo tamen nomine minus laudandus, quod quadrata scriptura nec uerborum distinctionibus ullis repraesentantur carmina Optatiani, quam et posteriores panegyrici editores obseruauere normam. In editione adornanda naeuos qui tuto possent abstergeri se sustulisse, alia ulcera quae tractari respuerent non attigisse ipse testatur Velserus. Hic illic codicis sui, sane deterioris, lectiones in margine apposuit. Praefationem operis haud absurdam ne uno quidem uerbo mutato hic loci repraesentari placuit. Est igitur haec et talis:

VIRO ILLVSTRI ET NOBILI

HENRICO RANZOVIO,

REGIS DANIAE

IN CIMBRICA CHERSONESO PRODVCI.

Amauit credo Vlysses Ithacam, quam per tot annorum, terra marique exantlatas aerumnas, sustinuit repetere, patria enim erat. Sed ludus ille tamen merus et nugae, prae his quae patriae desiderio Porphyrius iste molitus est. Carmina dico, patientiae miserrimae, temeritatis paene incredibilis, certe, quod constet, nullius ante se exempli: quibus quod reditum impetrauit exul, satis eo superque poenarum expendisse, nec inimicis quidem inuidiam ultra debere uidetur. Nam nulla crux unquam conferenda cum hac cruce, prae qua cordatus aliquis ualide inclamet, Exilium, ut Philoxenus ille olim latumias, ne Dionysii uersibus aures praebere cogeretur: O mora o poena, iteret, quisquis a limine inspiciat. Indignum uero uisum, tam improbi laboris opus latere diutius, et auctori tantarum uigiliarum lucubrationem posterum incuria perire. Itaque unico freti codice, eoque sat multis locis corrupto, editionem tamen adornauimus, naeuos qui tuto poterant sustulimus, mala alia ulcera, quae tractari respuerent, non attigimus. De auctore, quicquid ex Hieronymo et aliis obseruatum, praescripsimus; Hieronymum enim, et poetam et librum hunc respexisse apparet; an Fulgentii itidem loca eo quoque pertineant, etiam nunc ambigimus. Addimus praeterea ex VI. Carmine, uideri exilio fuisse mulctatum uel iniuria, uel leui de caussa, his enim Constantinum alloquitur,

Respice me falso de crimine maximè Rector
Exulis afflictum poena: nam cetera causae,
Nunc obiecta mihi, uenia uenerabile numen
Vince pia, et solito superans fatalia nutu,
Sancte tui uatis Caesar miserere serenus.

Librum ante caedem Crispi Caes. quae in annum Christi CCCXXIV, Constantini XIX incidit, scripsisse, Carmen XX ostendit; etsi Hieronymus XXIII Constantini demum ab exilio reuocatum fuisse annotauit, sed multa in Hieronymiano chronico esse perperam transposita, omnes uident; Crispi enim sic meminit,

Crispe auis melior.

Inde multa in eius et fratris Constantini laudem sequuntur. Cur paganus adeo uisus Bedae, ut eius attactum illo nomine refugerit, non admodum scio: fabulae intermixtae sunt, sed et Christianae pietatis argumenta permulta, inprimis, irrisa Iuliano in Misopogone Chi littera, et crux Constantiniana omnino integra, ea prorsus forma quam Eusebius descripsit, repetitae sunt toties, ut impietatis profecto notam deprecari debuerint, sine etiam carmine IX, et quae alia sunt eius generis non pauca, fuisset. De reliquo, iudicium ferre, lectoris potissimum partes: ausim tamen pronunciare et ego, Ausonianis propemodum uerbis, esse hic quod mireris (id nemo iniquus adeo negaturus) uerum multo magis etiam esse, paucis litteris additis, cuius miserearis, neque aemulari uelis: nam hoc postremum, omnes Musarum pueros, per spem studiorum suorum, oratos uolo enixe. Praesens et certa pestis ingeniorum, imitari uelle ista talia, quae recti specie, et ipsa difficultatis illecebra, queant incautis lenocinari, non illis qui ueram poeseos pulchritudinem animo unquam conceperint. Porro cum patronum Porphyrius quaereret, qui insuetae audaciae conatum tueri, tum posset tum uellet, et longe illi Constantinus Aug. longe Crispus et Constantinus Caess. essent, in tuam, Vir Illustris, sibi clientelam putauit concedendum; quod in tua maxime uirtute, humanitate, doctrina, satis sibi praesidii ex utroque capite esse intelligeret. Tuum iam erit, supplicem non negligere, qui scias quanti hoc genus homines Plato faciundum censuerit, natura praeterea ita sis informatus, perpetuo bene omnibus faciendi usu confirmatus, ut nemo quisquam tuam opem unquam frustra implorauerit, eis qui Apollinis sacris operati, manus etiam adiutrices ultro semper porrexeris. Vale.

Hanc editionem in appendice operum Marci Velseri, a. 1682 Norimbergae quae prodiere, denuo recudit Christophorus Arnoldus, subiunctis Christiani Daumii curis, quibus lectionum uarietas, quae sane magna intercedit inter Velseri librum et Pithoei, satis accurate proponitur, additis et aliis quibusdam notis. Hoc ipsum exemplar repetitum est collectionis Pisaurensis tomo V. Idem nouissimo tempore iterauit typis Mignius patrologiae Latinae tomo XIX, satis commode, hic illic tamen operarum erroribus deprauatum. Praeter hos nemo extitit qui totum librum Porfyrii ederet: quod contra sui inuenerunt studiosos carmina quae figuras certas aequant. Nam et Fortunius Licetus annis 1630 et 1635 encyclopaediis quas uocauit editis copiose de ara et de syringe Porfyrii commentatus est, et de organo Augustus Buchnerus et Caspar Barthius disseruerunt, hic in notis ad Claudianum pg. 178, ille in animaduersionibus ad Venantii hymnum de resurrectione domini pg. 27.

Denique Wernsdorfius a. 1780 quattuor illa carmina figurata parti alteri poetarum Latinorum minorum addidit.

Restat ut de nostris dicam curis: quibus si operam haud spernendam nauauimus Publilio, id sciant docti maxime Hermanni Hageni uirtute et fide effectum, ut qui Bernensium codicum, quibus carmina illius exhibentur, collationem quam accuratissimam nobis suppeditarit.

E quibus longe dignissimus memoria ille saec. IX aut X conscriptus, qui cum olim fuisset ecclesiae Argentinensis, mox Bongarsii, nunc in Bibliotheca extat Bernensi, numero addito 212. Continet quippe paginis a 111 usque ad 122 totum librum Porfyrii praeter carmina Velseri IV et VIIII. De eo iam cum cura disserendum.

Itaque in folii 111 fronte aduersa haec leguntur:

PVBLILI OPTATIANI PORFYRII PANEGIRICVS Ƶ DICTVS CONSTANTINI AVGVSTO INCIPIT FELICITER.

In margine Ƶ cografomenos (id est σvγγϱαφόμενος) ad Constinum (non: Constantinum) Augustum.

Sequitur in laeua columna — quam uulgo dicunt — c. I, in dextra expositio carminis VI ed. Vels. et infra hoc ipsum.

In auersa pagina legitur expositio carm. V cum ipso.

In fol. 112 adu. habes laeua columna expositionem c. XV, dextra praefationem et ipsum.

In 112 au. legitur expositio carm. XXII cum ipso.

In pag. 113 adu. scripta est expos. c. XXIII et deinceps hoc ipsum.

In au. habetur expos. c. XVII cum ipso.

In fol. 114 adu. expos. c. XX et id ipsum.

In au. expos. carminum XXIIII, XXV cum ipsis, ita quidem ut ex inferiore parte ad superiorem ascendant, et quidem prius obliquo, alterum recto cursu. Interpositus est uersus ille:

Augusto uictore iuuat rata reddere uota.

Sequitur pg. 115 adu. epistula Porfyrii, quae trianguli talis, ut uersus sensim spatio imminuti decrescant in acutum angulum, aequat speciem, mox 115 au. Constantini.

Fol. 116 adu. habes expositionem carminis XXI cum ipso.

In au. est c. VIII cum scholiis. Inferior pars paginae uacat.

Fol. 117 adu. leg. VII cum expositione.

In auersi columna laeua scripta est expositio c. XIII, et infra hoc ipsum, eo quidem ordine uersuum qui fertur apud Pithoeum ut puta

P rinceps beate placido sub axe iam nun c
iam nunc sub axe placido beate princeps.

In pag. 118 aduersa parte habentur scholia c. XVI et hoc ipsum.

In auersae columna laeua invenitur expos. c. III, in dextra ipsum.

In fol. 119 adu. leg. expos. c. X cum ipso.

In auersae columna laeua expositio c. XI; in dextra quattuor primi uersus c. XXVI cum expositione. Deinde infra columnam utramque positum est c. XI.

Sequitur subscriptio

PVBLILII OPTATIANI PORFYRII PANEGYRICVS DICTVS CONSTANTINO AVGVSTO EXPLICVIT FELICITER.

Quae sequuntur ut non ab eadem profecta manu, eiusdem tamen uidentur esse aetatis.

In fol. 120 adu. habetur carmen XVIIII cum uersibus qui incipiunt: *sunt septe numero pares ac lege metrorum* e. q. s.

In eodem au. leg. c. XVIII cum expos.

In fol. 121 adu. habes c. II cum scholiis, et infra XII cum scholiis.

In au. est XIIII cum scholiis; tum repetuntur quattuor primi uersus c. XXVI. Reliqua pars paginae uacat.

In fol. 122 adu. habentur omnes 72 u. c. XXVI.

Denique post interpretationem aliquot uocabulorum Graecorum sequuntur pgg. 123—126 similes Porfyrianis lusus Alcuini Iosephi Teudulfi, de quibus supra dixi.

Codex, quem et nos identidem oculis usurpauimus, luculentissimus ipsoque adspectu insignis. Carmen VI cum parte quinti capitalibus uel uncialibus litteris exaratum. Reliqua Carolingicae scripturae nitidissimum characterem referunt. Acrosticha et id genus alia rubro colore expressa, cui nec alias pepercit librarius. Et praestantia libri aequat pulchritudinem. Sed enim hac laude non nisi prima manus codicis digna; nam secunda, cuius omnes fere, quotquot extant, correcturas esse uidetur probabile, aetate sane illa uix inferior prima, etsi quaedam uitia uulgaria correxit, longe plura interpolationibus audacissimis saepe et ineptissimis foedauit. Quod cum ita sit non nisi bis terue eam memoria dignati sumus. Ceterum ne iniquius iudicium tulisse uideear de ea, ex carminibus I et III ed. Vels. uariantium scripturarum potissimas hoc loco adferemus:

n mero accipies aditis u
I, 4 picto. 5 meṛịtoque. 6 apṭa sạcṛis. 11̣ ḥạbịtụs. 15 natumque.

+ iunctis
16 comptis.

s pi ius n N
III, 1 summum. 5 diuus. ib. genuit. ib. Constantius. 7 h.
re re . q; hco tu .ē.
ib. ni linquerit ille. 8 inuictum. 11 est. 12 bene. 14 tu.

Ceterum haud indignum memoria interpolationibus istis haud raro conuenire cum Velseri exemplo, quod ductum fuit, ut memoraui, ex deteriore libro.

Vaticanus codex ex Reginensibus nr. 733 (siue 733b) membranaceus saec. X fol. form. min., qui aliquando fuit Iosephi Brodei, paene totus uncialibus litteris conscriptus ille, Porfyrii praebet haec paginis 14 exarata (Velseri sequor editionis ordinem): c. I, VI, V, XV, XXII, XXIII, XVII, XX, XXIV, XXV, epistulas Porfyrii et Constantini, utramque calicis forma scriptam, c. XXI, VII, XI, XXVI, III, X, XVI, VIII cum scholiis additis. Fuerintne aliquando plura in hoc codice an non, propter tegumentum a glutinatore additum uix poterit definiri.

Inscriptio libri talis:

PRĘFATIO PVBLILII : OPTATIANI PORFYRII : PANIGIRICVS : DICT' : CONSTANTIN : IN AVGVSTI LAVDE : INCIPIT FELICITER.

Liber minime spernendus, ut tamen plerumque ei cum libris siue Bernensi siue Pithoeanis conueniat. Itaque satis habui selectam ex eo lectionis uarietatem enotare. Collatione, quam a Ieepio esse confectam supra memoraui, ad Velseri exemplar, quod prodiit a. 1682, adaptata usus sum.

De Parisinis membranis primum a. 1874 Iosephi Koenigii, philologi quondam Vindobonensis, qui nunc degit in hac urbe, officiosa sum edoctus humanitate; mox ipse praesens adhibui easdem, quaeque digna uiderentur memoria enotaui.

E quibus altera, quae habet numerum inter Latinas 2421, saeculo decimo litteris Carolingicis belle scripta, longitudine 35 centimetrorum, quos uocant Galli, latitudine 25 constans, prius Rhabani libros de cruce, mox a pagina inde 46 uersa continet omnia opuscula, quae ex suo codice prompserat Pithoeus, et quidem eodem ordine, excepto quod inter IX et XIV interposita sunt organon, epistulae Porfyrii et Constantini, carmen Velseri XXI; inter XVII et XIX eiusdem III: quae omnia uides, et quidem sola, Pithoei contineri appendice. Praeterea carminis ultimi uersus IV primi cum scholiis praefixi sunt carmini paenultimo, ut cum fine chartae aduersae absolueretur sylloge. Inscriptio haec est: Publilii Optatiani Porfirii panegiricus dictus Constan-

tino Augusto. Singulae carminum litterae lineolis quadrati in speciem incisis distinctae. Quae maiusculis litteris sunt expressa apud Mignium, rubro colore sunt perscripta et rubris saepta lineolis. Graecae carminis X apud Velserum litterae latinis sunt mutatae. Epistula Porfyrii calicis refert speciem, Constantini crucis. Scholia ubique praeter carmen paenultimum praeposita carminibus.

Subscriptio paginae 55 talis: Publilii Optatiani Porfirii panegiricus dictus Constantino Augusto explicit. Sequitur carmen illud *sancte tui uatis* repetitum nullis ornamentis additis.

Codex alter nr. 7806, saec. XIII, paginarum X, 30 centimetros ille longus, 20 latus hanc habet inscriptionem: Pubii (non: Publii) Optatiani Porfirii panagericus dictus Constantino Augusto. Incipit feliciter.

Continet omnia, quae leguntur apud Velserum, hoc quidem ordine: II, I, III, IV, V, VI, X, XI, VII, IX, XVI, XVII, XV, XII, XIV, XIII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, VIII, epistulam utramque, nullis figurarum artificiis adhibitis, XXVI.

Adsunt opusculis praeter aram scholia, carminibus suis praeposita.

Liber simillimus Velseriani, ut exigui admodum nobis fuerit usus: quod cum ita sit, nemini erit mirum, quod selectis locis, neque ita multis, eius lectiones proponimus.

De codice quodam Monacensi, cuius haec est nota: 706[a], quaedam solita comitate nobiscum communicauit Laubmannus. Sed ille cum et aetatis sit ultimae (nam saec. XVI scriptus esse fertur) neque probitate compenset nouitatem, id quod eis, quae descripta sunt in usus nostros, comprobatur, satis est monuisse eo non omnia contineri, quae apud Velserum prostant carmina, sed haec: VI, V, XV, XXII, XXIII, XVII, X, XI, XVI, XXI, VII, VIII, XX, XXIV, XXV. Addita sunt scholia.

Praeterea Hagenus nobiscum communicauit quaedam ex Porfyrii libro quae prostant in cod. Bernensi 207 saec. VIIII. Eorum haec est inscriptio:

INC̃ EXCERPTṼ DE PANEGIRICO PORFIRII FACTVM IN CONSTANTINO AVGVSTO.

Eo continetur expositio c. III ed. Velseri cum ipso nec minus ultimi omnium cum primis quattuor uersibus.

Hos cum scholiis etiam inuenimus in cod. Leidensi saeculi XIII, qui habet hanc notam M. L. V. O. 15, pagina 44 auersa. Ibi tituli erat loco simpliciter inscriptum illud 'Porphirius'.

Denique in codice nunc Parisino (nam olim fuit Thuani) 8069, saec. X, qui saepe tritus est doctorum usu, fol. 1 au. inter uaria ex uariis auctoribus excerpta reperiuntur haec:

Porphirii ad Constantinum imperatorem.
Constantine decus, lux aurea secli.
Sancte tui Caesar uatis miseres.

Praeterea panegyricus prostat in bibliotheca Thomae Philipsii; membrana exarata saec. X, numerus 1815. Hic ex collegio Iesuitarum Claromontano, quod fuerat Parisiis, in collectionem Meermannianam, mox in Britanni quem dixi possessionem peruenit.

Et mihi quidem sufficere uidebantur, quae parata erant subsidia, collationes codicum Bernensium et Vaticani et excerpta e libro Parisino utroque cum uarietate lectionis exemplarium Pithoei et Velseri. Ceterum ex more illius aeui quin Pithoeus pariter ac Velserus nouarint quaedam de coniectura non monito lectore non potest dubitari. Nos ad ea, quae propriis inuentis nouasse constabat illos, integra eorum nomina adposuimus; alias notis P et V usi. Vaticani indicium est littera R; Parisinorum Π_1 et Π_2. E Iureti libro quae adferuntur, suis locis significantur per I. Vbi nulla addita est nota, Bernensis lectionem adferri scito, quem dicimus in reliquis locis B praeter ea carmina quae in excerptis Bernensibus etiam extant. In his priorem codicem B_1, alterum B_2 esse uoluimus.

In orthographia libri constituenda Bernensem quam accuratissime poterat fieri obseruaui priorem.

Praeterea quae in uerbis ipsis Porfyrii nouauimus solito persecuti sumus modo, hactenus tamen parcendum chartae rati, ut haud ita raro silentio mitteremus quae pariter Iureti et Hageni libris tuta, ut omittam reliquos, Velseri praetulissem lectionibus. Adiectae sunt recensionis Lucilianae in modum commenta breuia admodum et concisa. Ceterum in tanta exemplaris Porfyriani difficultate quod non omnia emendare aut explicare nobis contigit, nemini erit mirum. Vbi aliena a librorum memoria recepimus in scholiastae commenta, sufficere uidebantur additae cum uncis optimi codicis scripturae. Nam ut mittam non nos magis quam Pithoeum aut Velserum ab emendationibus plerumque facilibus et obuiis sperare famam, pridem ne Porfyrio nimium temporis impendamus, monet affecta sed in medio opere deserta recensio Phaedri. Ea quae non extant in membrana Bernensi, praeter uersus, cursiuis sunt expressa litteris.

Ordinem carminum placuit institui talem, seruato, quantum poterat fieri, membranae exemplo optimae epistulam utramque ut sequerentur quae ad panegyricum pertinerent, deinde reliqua, ita quidem ut opuscula figurata ponerentur loco ultimo; quamquam satis est probabile in fine totius sylloges olim fuisse positum tetrastichon illud 'ardua conponunt'. In fine exhibentur ea, quae aliis ex fontibus sunt deprompta.

Denique ne aut artificia, quibus tantum insudauit Porfyrius, deperirent, aut difficultas maneret legendi, quae plurimum offuit poetae, pleraque carmina bis sunt typis expressa, primum solita et uulgo adhibita specie, deinde ea forma, quam uides apud Velserum ac Mignium.

Epistulas tamen Porfyrii et Constantini sine figuris quas memoraui repraesentari placuit, cum eas librariorum potius quam auctorum industria prouenisse existimem.

VARIETAS LECTIONIS.

Epist. Porfyrii. 1 maxime *om. P.* pietate *om. B* Π1, *add. P R V* Π2. par(r)uitatis *B.* uota infatigabilis *R P* Π1, uotam fatigabilis *B,* uota infatigabili *V* Π2. 2 cui satis *add. supra* uisum *B.* musarum. illigaueram *P,* ligaueram *B V* Π1 2. in quo *ego*, quo *B* Π1 Π2 *V,* quod *P R.* prius *P.* *post* plus *uacuum spatium in R.* mei *B.* serenis *add. B R P* Π1 2, *om. V.* 3 pro Heliconii *P B* Π1, pro Heliconis Π2, per Heliconis *V et sic deinceps*, preliconii *R.* nemo pro *B.* lyra et *P,* lira et *R,* lyrae *V.* tu[i m. 1] *R.* diuini *Barthius,* mini *P,* mihi *B R V* Π2, *om.* mihi Π1. numinis *ego,* nominis *u.* ueneratione *B V* Π1 2, uenerabili *R P.* praelatio *P,* praefatio *B V R* Π1 2. audiendum *B R* Π1 2 *V, non P.* et *sequens om. R P.* 4 nobis Mantuanus *P.* puri, Pierii *Schraderus.* in carmina *B* Π1, *non R P;* uela fecundus in carmina exultat *V* Π2; exaltat *Vels.* 5 quit *B.* tenuis pauper ingenii *P.* hucusque *ego,* nunc usque *V.* parui *P,* perpraui *R.* 6 dignatione inmensum Π2, dignationem mensum *B,* dignationem immensum *ut uid. R,* dignatione immensum *P V* Π1. *post* immensum mihi *add. V* Π2. est *om. R.* etiam *V* Π2, et a *B R* Π2, haec a *P.* plaudis *ego,* laudis *B R* Π1, laudas *P,* laudis uacas *V* Π2, adeo uacas *Vels.* 7 exilis sermo ne *ego, Huetius,* ex illis sermone *B R* Π1 2, ex illius sermone *V.* perminimis *V.* referri *P R V* Π2. cui *add. ego.* istut *B.* a *om. V.* 8 consecutus — licet *om.* Π1. caelesti *om.* iam *R P.* diducere Π1. quocumque *V* Π2. carmine (in *om.*) *P R.* 9 uersibus *om. B V* Π1 2, *non R P.* aeternitatis *B R P* Π1, auctoritatis *V* Π2. vale *in fine add. V.*

Epist. Constantini. 1 expectarentur *R P.* Graeca *om.* et *P.* Latina *om. B R* Π1, *add. P V* Π2. siluisset *V* Π1 2, siluiset *B,* siluescit *R,* uilesceret *P.* inani opera *P,* inani opere *u.; fortasse* in inani opere. sudassent *P V* Π2, suadessent *B,* suadissent Π1, suadessant *R.* resederit *P R.* karissime *R* Π1 2. 2 exeat *R.* uindicare *ego,*

indicere *B V* $\Pi_{1\,2}$, dicere *P R.* etiam illos Π_2. quod posterius *B R* Π_1. delectare *om. B R P* Π_1, *add. V* Π_2. exclusi sunt *ego*, exclusit *B R P* $\Pi_{1\,2}$, excludit *V.* leniora *B* $\Pi_{1\,2}$. flexere *V.* 3 coturnis, coturnix, quo turmis *cdd.* allectus *R P. illa* et prope — uerbis *a me in locum quem tenent traiecta sunt; nam u. leguntur post uerbum* cothurnis. allectus *P R.* locutus est alter *ego, u. om.* alter. *Pithoeus haec habet:* ill. alt. coturnos. alter pr. cot. ac m. u. allectus h., comoediis locutus est. *Apud Velserum leguntur haec:* illigauit alter cothurnis et prope — hominum, com. loc. est quidam, inaequali pede elegia cantata est, m. dig. sem. ch. am. l. iuc. ins. pro aequalitate modulaminis. at non *e. q. s.* cotidianis *R,* cottidianis *B* $\Pi_{1\,2}$. elegiaca *P.* cantatast *ego*, cantata sunt *R P* $\Pi_{1\,2}$, canta sunt *B,* cantata est *V.* iuscundus *B,* iocundus *R* Π_2. 4 modolaminis Π_1. ad singulos *P,* an singulos *B R* Π_1, an circa s. *V* Π_2. at non c. s. *Vels.* expeditae Π_2. 5 quorumdam *B ut uid.*, quorum Π_1. imperatorum fauor *V.* rigare *R.* quasi *V.* tramites *B.* scaturientibus *P V* Π_2. temperauit *V* Π_2. 6 seculo *R.* discentesque *B* $\Pi_{1\,2}$. aliter *om.* non *R,* haud aliter *P,* non al. *B V* $\Pi_{1\,2}$. 8 oratoribus *Vels.*, orationibus *u.* metri *ego*, metris *u.* ut *u.*, ut in *P; fortasse* uti. paternasi *R.* acra *scripsi*, sacra *P* Π_1, sacri *B R,* iuga *V* Π_2. mortales *R.* 9 gratia *B* $\Pi_{1\,2}$, gratae *V,* gratum *R P.* felicitatem Π_2, facilitatem *u.* dum, *fortasse* cum. antique *B.* noua noua *(sic)* iura *B,* noua lyra *V* Π_2, noua iura *R* Π_1 *P.* 10. 11 atra *pro* citra *R.* effunderent. tibi *P,* effunderem tibi *R,* effunderent ibi *B* Π_1; ut modis quibusdam artis innexi citra interuentum uicio carmen effunderent. ibi Π_2, ut modis quibusdam arctis innexi litterarum *omissis mediis V.* opposita *ego*, proposita *u.* distictionibus *et mox* intersticta *sed utrumque correctum m. 1 R.* operis *P R,* oculis *B* $\Pi_{1\,2}$ *V.* sensibus *P.* colorum *P R* Π_1, oculorum *B V* Π_2. tenere *P,* tenuere *u.* contigit *addidi.* haesitantia carmina *P,* haesitantia carmine *R.* pareret *ego*, repararet *B R* $\Pi_{1\,2}$ *V*; separaret *P (fuit antiquitus* pa^{re}raret). 12 dictationis *R P.* 13 felicitas *scripsi*, facilitas *u.* conprobatast *ego;* comprobata si *P,* conprobatae si *R,* comprobata est *B V* $\Pi_{1\,2}$. 14 tibi *om. P.* operis tuae *R.* perisse et *V* Π_2, petisse et *B* Π_1, petis sed *P R.*

I. 1 sueras *R,* fueras *cet.*, pulchro fueras Π_1. 2 fe^{r}e *B,* ferre *I,* ferto *P V* $\Pi_{1\,2}$; Augusto ferret alia *R*; Thalia, i *ex* e *facto B.* 3 ostro aditum *V,* aditura *Vels.* 6 gratifici *P V, non B R I.* usibus Π_1. 7 carta nigro suffusa Π_1, atro carta suffuso *R.* 8 uis mineo *R.* dissocias *scripsi*, dissocians *B P V* $\Pi_{1\,2}$; dissoluans *R,* dissoluens *I.*

9 petes Π_1. 10 quo^{d} *B*, quo *P*. tua mundicies *P*. 11 quos *V* Π_2. 12 haec Π_1. 13 su^{p}pliciter *B*, suppliciter *u*. 15 purporeo *B*.

II, 3 ad *B R P*, da *V*. 9 saltim *B R P*, saltem *V*. 16 ac *P*, ad *B V*. diuidet *R*. 26 summi eius *R*, summi ius *P*. 33 oblecta *m. pr. B*.

III, 1 flagrarem *Pith.*, fraglarem *B V*, fraglare *R*. 20 uota *V*. 26 cor *ego*, cur *B P R*, cui *V*. 30 cito perferat *V*. 32 detur *V*.

IV. *hoc carmen primi nos edidimus.* 1 fa^{s}ctus *B*. gemina. 2 flexuosa. 3. 4 *inuerso ordine, sed additis notis correcto.* 3 Constantine genis. de italia. 6 pontum. 7 uictor ultima pictas honorem. 8 munera. 9 quod. si et.

V, 2 confinea *prius B*. 7 torto en *ego*, tanto in *u*. 8 discriptis *ego*, descriptis *cdd.* 11 tutos *ego*, totos *u*. 13 Araps *mutat. in* Arabs *B*, Arabs *u*. 13 uota, *f.* dona. 15 sedit *P et m. 1 B*. 17 poscit *V*. refa^{e}rre *B*, referre *R I V*. 20 componis *u.*, *et ita prius B*. 23 *f.* ardens. 30 ^{e}cris, *unius litterae spatium*, $\overset{i}{p}$ *B*, crispi *P R*, cristi *V*. 31 Rhenum Rhodanumque *V*, rhenụum r^{h}odanumque *B*. 32 frangis *I*, fran^{c}gis *B*.

VI, 3 limite *I R B m.2*. 4 milite *B m. pr.*, *P R*, *non V B m.2*. 5 uersu *V*. 9 orsa *Huetius*, orta *u*. 14 uinciri *V*, uincire^{i} *B*, uincire *P*, uinceres *R*. 15 summstrages *R*, summas strages *P*, usum strages *V*. en *ego*, ṣ^{t}ed *B*; sed *P V*, set *R*. 22 conabor *V et m.2 B*, conarer *B m. 1 P R*. 23 marg^{e}enssis *B*. 25 dura morte *P*. 29 praemia *ego*, proelia$^{\text{uel carmina}}$ *B*; proelia *R*, praelia *u*. 35 placari in f. *V*.

VII *numeri additi in B*. 2 Ausonium *B*. uictor *V*. 7 picto sub carmine *V*, pictor sub carmine *I R*, pictoṛ sub carine *B*, picto su carmine *ut uid. P*. 8 uatem *B P R*, *non V*. 9 copia *V*, coeta^{copia} *B*, coeta *P R*. 11 uerso *V*. omnis *B m. 1 P R*, omnes *V B m. 2*. 12 semina *V*, *B ut uid.*, *non P R*. 13 iuuat *V*. 14 Clio *ego*, uoto *cdd.* 17 pios audens *R et m. 1 B*. 21 foedera *V*. 25 deus *V B m. 2*, deos *B m.1 P R*. iusta *P*. 26 iustis *V P*. 28 mentes *B P*. 34 Romula, Romul^{a}e *B*, Romule *u*.

VIII, 2 perenni *B m. pr.*, *P R*. 3 summa *P B m. pr.* 10 procenie *prius B*. 12 eluit *V*. 20 umulata perenn *in ras. B*. pe^{r}penni *id.* 21 sancte *ego*, sancta *u*. tuas *V R*, suas *B P*. 23 opes *V*. 23. 24 labori Augusti *I R*. 30 s compleri *in ras. B*. 32 orbe^{i} *B*. 35 pii sceptri te *V I R B*, *id. in mrg.* screpti; piis cepi rite *P*.

IX, 6 mites *V B, non P.* 7 set] sit *B P,* sed *R,* sic *V.* 8 pila minacia *sp. uac. rel. inter* i *et* a *B,* pia minacia *P,* dira piamina *V.* 9 Hele[i]cone[s] *B,* Helicona *V,* Helicone *P R.* 14 huic *ego,* hinc *u.* titulo *u.,* populo *I.* carmina *V.* 20 iustos audax *I,* iussos a. *B R V,* iu*ax *P.* 21 iussos *V.* 27 hos *V.* culmine *ego,* carmine *P V,* carmina *B R.* 28 phoedera *B R.* 29 facilis *mut. in* faciles *B.* 32 fratris *ego,* fratrum *u.*

X, 1 proca[xi]ren *B.* 2 fontis *P,* fonte[i]s *B,* fontes *R V.* 3 *fort.* furet. nexusset[d] *B.* 5 effandi *ego,* es[t]f[u]andi[s] *B,* esfndi (s *in ras.*) *R,* et fandi *P V.* 9 iam *P.* 13 tu[l]ierit *B,* tuleris *P.* 15 menti edicere *P.* 16 primus *ego,* primis *P R V,* pre[i]mis *B.* 17 legas *V.* 18 *fort.* ardet. uati *P,* uoti *B R V.* 20 uota[i]s *B.* magnum *V.* 21 side[bi] *B.* 25 omini[nia] *B.* Cristi *V.* 27 dium *P R.* 29 [c]qui *B.* ager *id.* 32 debita *P V,* deuita *B m. 2,* dedita *R et m. 1 B.*

XI, 3 rursum[s] *B.* culmen *ego,* carmen *u.* 5 polo diuulsa *V.* 6 maerebat *R; in B legitur* Ausonia[em]erebat. 8 d. ut *ego,* domino sed *P V B m. 1,* dominos et *R B m. 2.* quaerant *ego,* quaerunt *u.* 8. 9 *fort.* quaerant, trepidet, trepidat *B P V,* trepide *R.* 12 memorabile *ego,* uenerabile *u.* 14 uenerabile numen *B m. 2,* memorabile numen *V,* memorabile dictn *B m. 1,* memorabili dictn *R,* memorabile dictu *P.* 17 Auguste *P R V.* 18 quas *P V,* qu[a]s *B,* qui *R.*

XII, 1 pater mundi *spatio uacuo relicto* gloria *P,* p. mundi tu *I.* 2 dabis *V,* dabit *P R,* dab[us]it *B.* 3 rarus *P R B m. 1.* 5 numen *P R B m. 1.* 6 felice[i]s *B.* 8 bona *B.* doni *B R.* 9 subiuit *ego,* subibit *u.* 10 baccheia *B P,* bacheia *V et ut uid. R.* 13 sua *V,* [s]qua *B.* 15 c. ad *ego,* c. et *B I R,* c. in *V,* concordiae *P.* 18 tibi *P,* sibi *u.*

XIII a. b. *horum carminum uersus in B P collocantur ut puta:*

princeps beate placido sub axe iamnunc
iamnunc sub axe placido beate princeps;

et sic reliqua.

XIII a, 2 strene *m. 1 B.* 6 dominis *V B, non P.* 11 supero[scripto] *B,* supero *P,* superos *V.*

XIII b, 6 dominis *V B, non P.* 11 supero[scripto] *B,* supero *P,* superos *V.*

XIV, 9 poculis *m. 1 B.* 10 inuictas *V,* inuictus *P R;* inuictus[m] *B.* 16 serene *B P,* sereni *I R V.* 17 det *R.* 18 u. u. *V,* ut uincas *B R,* ut uincat *P.* 23 mundo *B P R.* 24 felicitas aeui *cdd., corr. Vels.* 27 tibi *R ut uid.,* [t]sibi *B,* sibi *P V.* 29 bona *V B m. 2.* 31 sunt *ego,* sint *cdd.* 32 en *ego,* et *u.*

XV. *numeri additi in B.* 2 Augusti *P et prius B.* 3 imperium *V.* 7 ne *P.* linqueret *P B m. 2;* linquerit *B m. 1,* liquerit *V.* illi *P.* nihil inquiret ille B_2. 9 tu *P.* 10 decus o $B_{1\,2}$ *V,* decus et *P.* 13 patriae et *P.* 14 tu *om.* B_2. 15 uates *P,* uatis $B_{1\,2}$ *V.* ardua Musa *V.*

XVI, 3 modolante *B.* 7 facundae *ego,* fecundae *u.* referant *ego,* reserant *R,* reserent *B,* referent *P,* resekent *V.* 10 dominum *V B m. 2,* dominam *id. m. 1 P R.* 11 Graiumque *V B m. 2.* maxima[e] semper[rector] *B,* maxima semper *P R,* maxime rector *V.* 13 hostiles *I R V,* hosteles[i i] *B,* nos teles *P.* 14 tui *B P R, non V.* 16 Tirri *V.* 17 urbis *B, non P R V.* 18 quietis *V et m. 2 B.* 19 nominis *B m. 1 P, non*[fama] *V B m. 2.* 23 Cauro *P,* Chauro *B R,* Tauro *V.* 27 rata *P,* rata *B,* kata *R,* cara *V.* 29 choortes *R,* coortes *V.* 31 et iura fidemque *V R B m. 2,* et plura f. *P,* et pluara f. *B m. 1.* 32 tua *B P R, non V.* 33 pacatis *cdd.*

XVII. *hoc carmen, quod primi nos edidimus, in cd. Bern. legitur infra XVIII.* 1 septe *B.* numero. 2 consimilis. quae. *hiatus signa et hic a me addita et post u. 5.* 3 propriam. 4 cedent[u]. alios. 5 utrerius senis[i]. 8 textum, *fortasse* intextum. 11 tam ambaces. 12 nimium reseruare. 13 titulos. honesta. 16 operta *B, non V.*

XVIII, 12 uisu Π_2. dat *ego,* det *u.* 13 uerifer *V* Π_2. 16 perpeteage *B* Π_2, perpereage *V.* 20 sancte *ego,* sancta *u.* 21 uictorum gloria *ego,* pictorum gratia *u.* 22 uicinis *ego,* uicenis *u.* Thylen *B,* Thilen *V* Π_2. 27 amori *prius B.* 29 iungere Iani *ego,* tangere naui *u.* 31 Hacmus *V* Π_2. 32 rem *ego,* re *B* Π_2, rr *(si modo uerum est) V.* c *(dein rasura)* uruantibus *B,* cuuruantibus *V* Π_2.

XIX, 5 clarae *V* Π_2. 7 profluat *ego,* proluat *V* Π_2. 8 uerso *V* Π_2. 10 Gazzae Π_2, Garzae *V.* 11 Blemmiico Π_2. 13 oali Π_2 *et ut puto V.* 14 myseum *V* Π_2. 16 paris Π_2. 21 uates *ego,* uatis *V* Π_2. Pithie *V* Π_2. 23 francere Π_2. 24 Noctiferum *ego,* noctigerum *V* Π_2. 25 pulbita Π_2. 28 fista *V.* 29 flumina *V.* 31 fractum *ego,* fructum *V* Π_2. 32 icto Π_2. 33 uince*(dein ras.)*s *V.* 34 carmine *ego,* carmina *V* Π_2. 36 sobolis *V* Π_2. 37 parentur *V, non* Π_2.

XX a, 2 parantes *P,* parentes *R.* 6, 19 triumphys *B.* 7 *apud Pith. legitur post 26; etiam in R, qui tamen, si recte refert Ieepius, eundem exhibet loco legitimo.* 8 exultat *B V, non P.* 12 hinc *P,* haec *B m. 1 R,* hac *B m. 2 V.* clarus *V B m. 2.* 16 iam alma *V.* 22 tantis *V.* 25 fronde Foebi *B m. 2,* fonte Foebi *id. m. 1;* fonte Phoebi *P R V.* 26 comta *B R, non P V.*

XX b, 1 meteri *m. 1 B.* 2 manentia *B m. 1 R.* 8 milite *B R, non P V.* 9 una *B R.* 12 tempora *B R.* 13 rythmo *ego,* Musis *u.* aequiperando *ego,* aequiperantem *B R,* aequiparantem *P V.* 15 *fort.* facunda. canoris *V.* 19 placidis *V.* 22 animaeque *P R.* agitant *P.* 24 frequentia *V.* 25 aperta *R.* placitos *ego,* placidos *cdd.* 26 *in mrg. m. 2 B addit u. hunc:* blanda suis herato digitis mudulamina riuis; *cf. anth. Lat. ed. M. 616, 6.*

XXI, 3 ambigit *P,* ambiet *B m. 2 I R.* claudens *R P I.* nomine *B m. 1 P,* numine *B m. 2 I R V.* 6 Pythoia *B R P,* Pithoia *V.* 8 i. sit *P,* i. $\overset{\text{eet}}{\text{sit}}$ *B,* i. sed *V,* i. sic *R.* 11 metro *B m. 1 R P,* medio *V B m. 2.* collocat *P R.* 14 pangeres et *R.* passus *idem.* 16 iersus *B.*

XXII. *numeri non apparent in B. ceterum hoc carmen in parte ea, quae capitalibus litteris est expressa, traiectum est post XXIII, quo scholia apte possent addi.* 1 iunctos en *ego,* cunctos et *B V* Π_2. 2 ligare *ego,* lecare *B,* locare *V* Π_2. hedesis *B* Π_2. rocatus *B.* 4 sunt tua *B.* ec *ego,* et *u.* 5 numere *B.* 6 anemum *B.* 7 que Π_2, quae *V.* 9 c̃sere Π_2. 11 nuua *B.* 13 utitum *B,* $\overset{\text{uel e}}{\text{utitum}}$ Π_2, utltem *V.* 16 deducire *B.* 17 stupiose *m. 1 B.* 19 *fortasse* omne. agis *B,* acis *V* Π_2. 20 premiro o ostendis *V, et ita plane* Π_2, ostendi *B.* 22 incuitum *B.* 23 nii *V.* ui *B et ut uid.* Π_2, ul *V.* 24 patroii *B.* 27 cocere *B.* 28 diuers pollineis *B V,* diuers. pollineis Π_2, *corr. Vels.* 33 laudauo trubuet *B.* 34 nostisex *prius B.* 36 pius Π_2.

XXIII, 3 naec *V.* consitet *B m. 1,* concitat *V.* tria *V.* 4 sontem qui tenere *B.* 5 uitane *B.* iungia *m. 1 id.* 5 coniux *B,* coniunx *V* Π_2, *corr. Vels.* 6 uoluerit iratos *ego,* uoluerit testes *cdd.* 7 habetet *B.* minil *V.* 8 Helena *B.* uinis *id.* 10 Grecis *V.* frix *V* Π_2. coniunx *cdd.*

XXIV, 3 paternae Π_2, supernae *V.* 4 aeternae ii tecum *V.* 6 adri si *V.* 8 tutum *ego,* tu dum *cdd.* 12 medellifero *ego,* medillifero *V* Π_2. 13 natalibus atri *V,* natalib' astris Π_2. 16 tu quia facundus *V.* 22 iuues *V.* 23 tractum *Vels.,* trantum *V* Π_2. 25 signi *V* Π_2. 30 incedit *V* Π_2. 34 uenitque *eidem.*

XXV. *numeri absunt a cdd.* I COMPONVNT B_1 *V, non* B_2 *R.* II DIVERSVS B_1. III PANGENTIS $B_{1\,2}$ *R P.* PECTINE *ego,* PECTORE *cdd. et sic deinceps.* VATES B_1 *V* Π_2, VATIS *R* B_2 *P, Lugd., minus recte.* — 1 felicis *B et sic aliquoties.* 8 s. conectunt *m. 1 B.* 10 componunt connectunt *hic et rel. locis B, nisi potius Hagenus rem leuissimam saepius adnotare noluit.* 41 conponunt *pro* constabunt *B.*

44 conectunt *pro* felices *B*. 47 conponunt *pro* felices *B*. 48 ardua *pro* dissona *B V*.

XXVI, 3 sacra dis agens, Phoebum *ego*, sacrissima gens Phoebo *B*, sacratissima gens Phoebo *V*. 4 quos *B V*, *corr. Vels.* 10 *fortasse* laesa. spicula *B V*, spiculo *Vels.*

XXVII, 5 Naidum *B V*. Dryadumque *B m. 1*, Driadumque *V*, Druadumque *B m. 2*. archanaque *B V*. Bacchii *B*. 6 heuuantis *V* Π_2, heu antis *B*. 7 thiasos *B V*. modulamine *V*. 8 uariato *m. 1 B. f.* iunxit. 9 almus amans Attis *ego*, Attis almus (almōs with u above *B*) amans *cdd.* Cybebe *ego*, Cybeie *B*, Cybele *V*. 10 me — decus *ego*, e — deus *cdd.* 12 me non — Marsya *ego*, in me — carmina *cdd.*

XXVIII. *selectam apposui codicis Salmasiani uarietatem scripturae.* 2, 3, 6, 7, 10, 11 *his locis omnibus melius legitur* non, *quamquam uu.* 3, 7, 11 *illud* nec *satis commode poterit explicari per* ne quidem. 8 consensit *Salm.* 9 purpureos *Salm.* 9, 11, 12 tibi — Iacche *ego*, sibi — Iacchum *Salm.* 13, 16 huic *ego*, hic *u.* 13, 15 astu *u.*, aestu *Salm.* 22 haec tendymion *Salm.* 22, 23 si — hanc *ego*, sed — haec *u.* 26, 27 haut *ego*, aut *u.*

In epigrammatis Porfyrii nobis adfuere lectiones quinque codicum, quas Bursiani nostri suppeditauit comitas, duorum Palatinorum saec. IX et X, duorum Guelferbitanorum saec. XI et XII, unius Bruxellensis saec. XII.

XXX, 1 auxilium; *ita libri praeter Guelf. priorem, in quo est* auerlium; *u.* pauxillum. Fortuna tuum *ego*, F. tibi *u.*; *in Guelf. altero est* fortunatibus *pro* fortuna tibi *siue* fortuna tibi res. Quinto *ego*, quinte *uel* quintae *cdd.* 2 ettulit *idem praeter Pal. et Guelferb. priores.* fronte *Palatini, Brux.*, prorae *Guelf. prior.* 3 nam ne aliud *u.*, nautaliud *Pal. pr.*, non aut aliud *Guelf. alt.*, nam ut aliud *rel.* 4 quanto (*uel* quanti) magis altus *cdd.*; quam tu *Heinsius.*

COMMENTARIVS IN PORFYRIVM.

Inscr. *Publilii;* notior hoc *P.* mimographus. — *Porfyrii;* ita scripsi hoc nomen codices secutus optimos. sic infra *Fryx.* et saepe deterioris aetatis inscriptiones simili sunt inconstantia scripturae. notata sunt in usus nostros a Ioanne Pomialofskio, collega suauissimo, exempla haec: *Symferusae* ap. Moms. inscr. regn. Neap. n. 7223; *naofylace* ib. n. 2706; *Bathillus* corp. inscr. Lat. II n. 4372; *Symmaco* i. r. N. 7148; ex his quod quarto loco posui, anni est 330 p. Chr. et addi possunt plura. praeterea *i* et *y*, cum idem fere sonarent, ultimis imperii Romani temporibus saepe esse confusas et promiscue usurpatas satis notum.

epist. Porf. 2 *artioribus Musarum inligaueram uinculis*, ut infra 9 *uersibus inligare;* epist. Const. 3 *inligauit alter cothurnis affectus hominum.*

8 *ab ipsis Aonii uerticis adytis deducere audeam Musas;* cf. Verg. georg. III, 10, 11.

epist. Const. 3 *comoediis et prope cotidianis ac moralibus uerbis locutus est alter; cotidianis uerbis;* nimirum, *ut quae loquuntur sumpta de uita putes; moralibus,* quia comici perinde ac satirici ad mores hominum corrigendos maxime conferre existimabantur et ob id in scholis legebantur.

ib. *semiloquacibus chordis;* quia uersus canentium propriis sonis aemulantur; cf. Hor. c. IV, 9, 4. *semiloquax* uerbum a lexicis alienum et sermonis Latini uergentis, ut *doctiloquax* ap. Dracontium praef. ad Theodos. pg. 48 ed. Sirm., *uentisonax* ap. auctorem carminis, quod legitur ap. Riesium in anthol. Lat. n. 862, *luciferax* ap. Venantium.

5 *quam si — temperaverit;* cf. Verg. georg. I, 108—110.

6 *saeculo meo scribentes dicentesque non aliter benignus auditus quam lenis aura prosequitur;* haec uerba in memoriam reuocant, quae Suetonius tradit de Augusto c. 89: *ingenia saeculi sui omnibus modis fouit. recitantes et benigne et patienter audiit.*

8 *hoc genere dicturis;* cf. lib. de Ph. et Au. fab. pg. 26, 7. — ib. *acra;* in ep. Porf. *Heliconii uerticis, Parnasi iuga. acra;* in glosis, quae post carmina Porfyrii adiciuntur in codice Bernensi, etiam haec legitur: *acron summitas;* ita Apuleius de mundo dixit *Olympi acra.*

9 *dum*, si recte habet, ex more deterioris aetatis est positum.

I, 1—14; cf. Ou. Trist. I, 1, 1—12; in quibus sextum distichon quinto praeponendum.

II, 4 *ex hoc, nomine;* cet. cf. III, 5, 30.

7 *tunc*, i. e. cum sedata erunt crimina.

12 *signato* per rubricam.

13 *iure, condicione.* — *consona, congrua.* — *in omni*, limite.

14 *sui, carminis.*

15 *occurrens aptius istic; pars extima*, quia in fine metri non modo uersum pariter ac uerbum claudit legitime, sed simul telestichidem efficit.

16, 17 uu. 1, 35, 18 respici apparet.

17 *queat* pro *queant*, ut Horat.

28 *bellis secura quies;* suppl. *est* uel *adest.*

29, 30 spectant haec ad leges in adulteros latas a Constantino. *suis maritis*, i. e. *Romanis. sociale iugum, consortia uitae; uera, digna hoc nomine.*

schol. *directum* in scholiis hisce idem quod *rectum* aut *derectum.*

III, 1 *Musarum numine, auxilio Musarum.*

2 *perfecta in munia*, suppl. *tua.*

3 *ratio, mens. ordine Phoebi, iussu*, ut uidetur. uix enim credo hanc uocem transferri posse ad illud *gesta canunt.*

8 *quiuis* datiuus.

9 *fauens* c. infin., ut aen. I, 18 *tendere* et *fouere* c. acc. et inf.

11 *serena* accus.

13, 14 *nexus lege solutis dicturus metris; qui non usus erit tam difficilibus artis legibus, quam ego, quibus continentur spiritus.*

27 *praecelsa* pendet a *fari.*

29, 30 *clausa, cata; mens.*

30 *uisus, species. ex hoc, propter hanc difficultatem operis.*

31 *aestuat, confusa* uel *perturbata est.*

33, 34 haec uidentur ita esse accipienda: *quae sola (uota) pagina, amoris munus nostrum ex Helicone, inplebit.*

35 *picta, uota. per musica, per carmen.*

schol. c. III uersus 3 *picta elementorum uario per musica textu* ad apodosin pertinet. u. 5 *quaerentur, acquirentur.*

IV hoc carmen cum proximo nescio an melius collocetur post II, ut statim post uersus, quibus ueniam exilii rogauit Porfyrius, iniciatur uicennalium Constantini memoria.

1 *fastūs*, ut XVIII, 2.

2 *flexoso;* ita alii *fastosus;* recte O. Ribbeckius, uir doctissimus, *fluctatim* in u. Afranii ap. Non. 111, 29.

3, 4 *talia munera, flexoso tramite perscripta.* erat cum conicerem, *dicet aurea natis munera.*

6 *Ponti nobilitas, Nicomedia.*

7, 8 cf. quae sunt dicta ad III, 13.

9 *scruposa, difficilis.* — *pagina, carmen.*

10 *disserat,* cf. c. V, 7, 8; 27 et aliorum carminum locos similes complures.

V, 3—7; haec spectant ad deuictum Licinium et receptum Hormisdan, regis Persarum filium.

9 *olim, iandudum.*

11 *post uota tropaeis,* i. e. *post uota in uictoriam tuam facta.*

13—15 de uariis barbarorum ad Constantinum legationibus refert Eusebius in uita Const. IV, 7, 8.

15 *omnia laeta* nom.

16 *bono, prospero.* — *ludent otia,* ut *carmina, uersus ludere.*

18 *uirtutum* iungendum cum *praemia.*

20 *lauro quid carmina carpis.* haec aut ita accipienda: *quid uiro triumphis claro nectis carmina, quibus non eget,* aut *quid ex triumphis uiri omni laude maioribus petis materiam carminum.*

22 *fonte suo* suppl. *a.* — *tu, Musa.*

23, 24 *aut si quod perferet audens, maius opus nectens, mens tota mole subibit;* haec ita uidentur esse explicanda: *si Apollo maioris etiam spiritus carmen ad me pertulerit, mens mea omni intentione operam commissam subibit.*

31 *Rhenum Rhodanumque;* haec nisi ex Ou. metam. II, 558 essent tracta, mira poterat uideri iniecta Rhodani mentio.

32 *ulteriore,* i. e. *dextra Rheni ripa.*

33, 34 *sancte puer;* Constantinum, Crispi fratrem, alloquitur. reliqua ita intellegenda: *tu ad tantam quietem spes rite missa es ex polo saeculis.*

34 *Constantine* ipsum Augustum alloquitur.

schol. *deuota gaudia* nomin. — *pingens, depingens, describens.* — *summe parens,* ad Iouem conuersus ait, ut Hor. *quid prius dicam solitis parentis laudibus* e. q. s. et Seneca *duc o parens celsique dominator poli.*

VI, 3 *agmen agit, Musa. quino sub limine,* quia uersus intexti quinis constant uerbis.

4 *septeno limite,* quia singula eorum uerba septenis constant litteris.

13 *claudit, Musa.*

18, 23, 26 *Campona, Margensis boni, Bononia.* spectant haec ad uictorias in Pannonia ac Moesia de Sarmatis uel Getis reportatas a Constantino ante bellum cum Licinio alterum.

31—35 hic locus ita uidetur esse accipiendus: *Musa, quaecunque*

perfecta a Caesare parat dicere uersibus difficillimis, rursus uult celebrare meo carmine, non minus artificioso, si ueniam delicti impetraro.

33 *resonare*, *iterum sonare.*

35 *procellas;* Ou. in Trist. *nubila cum uenient turgida, solus eris.*

VII, 5 *serenus* iungendum cum *da.*

11, 12 *limo;* respicit obliquas partes uersuum interpositorum. *aliud, quo pagina in omnis signatur modulos;* uidetur uerbis hisce reliquas octo uersuum interpositorum partes significare, quae modo in primo uersu et summo, modo in acrostichide et telestichide, modo in medio carmine decurrunt. ante *quo* suppl. *uersu. signatur, distinguitur.*

14 *in musica* pendet a *sequitur.*

33 *tuis*, *a tuis.* 34 *compos*, *uotorum.*

35 *suus*, *legitimus*, et pertinet ad *saecula.*

schol. pro illo *oblicus* in libris optimis saepius est *oblicuus. nouissimae autem partes* a *lux alma* et *mitis.* u. 4 *missum*, suppl. *es.*

VIII, 2 *uotum perenne* accus.

4 *meritam*, suppl. *se.*

7 *adcumulans coetus* hominum, qui uicennalium festis diebus exultant.

8 *natis*, *Crispo et Constantino.*

9 *debeat*, *saeclum.*

10 *progenie tali* pendet a *nobile.*

11 *a proauo*, *Claudio. uerae* i. e. *dignae proauo.*

12 *inuicti militis* genet. qual.

12, 13 *alma* potius cum *Roma* iungendum quam cum *otia.*

14 *ataui*, rursus significatur Claudius. sequentia ita sunt accipienda: *deinde Constantius editus secundum uota orbis docuit erumpens in hostes, ne pares fidei frangendae frangant fidem.*

17 *iugi*, *perpetuo.*

18 *uobis*, *Augusto et Caesaribus. secuta* ablat.

20 *aucta* nomin.

21 *sancte*, Constantium alloquitur. *migrat*, *mutat.*

22 i. e. *summus deus.*

23 *patriae*, Constantinum significat.

23, 24; cf. Verg. aen. XI, 125, 6.

25 *pectora*, suppl. *eius.*

schol. *salutari signo* propter monogrammum Christi et plene perscriptum nomen Iesus.

IX, 4, 5 *et* quarto loco positum, ut apud Phaedrum III, 7, 10. locus sic explicandus: *et iterum persuadens orbi terrarum, ut consiliis cuncta referantur ad Romam.*

c*

8 *post pila minacia;* cf. Lucan. I, 7.

13 *det, pagina,* palmae speciem referens.

16 *tua* substant. 18 *laeta* nomin.

19 *ramis;* suppl. *palmae.*

20 *iustos triumphos;* pendent haec a *pangere.*

21 *meritum nobile* appositum ad *palmas.* — *iustis tot* dat. gen. neutri.

25 *tua fatur pulchra iuuentae;* enallage pro *tuae iuuentae pulchra,* ut infra (XXVII, 11) *tuos Idaeos, mater, amores.*

27 *Caesar,* Crispum alloquitur.

29 *facilis* nomin. — *rogantes,* ut alibi *uolentes.*

32, 33 *inclita fratris nobilitas proauis;* fortasse hic respicitur ad Faustam, Maximiani Augusti filiam, matrem Constantini eandemque nouercam Crispi. ceterum haec omnia adulatione infecta: nam Constantinus tempore, quo editus est panegyricus, nouem erat annorum.

36 *decies sollemnia, decennalia.*

X, 5 *optata* accus.

8, 9, 10 *uersus fingentem tam duro carmina uersu ludere fas nobis;* illud *licet* hic eadem constructione adhibitum qua ap. Caes. b. c. III, 1 *is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret;* cf. et. Phaedr. fab. III, 7, 13, 14. *ludere carmina;* Verg. *carmina qui lusi pastorum. nobis* praecedente singulari num. non habet quod mireris. Prop. *in me nostra Venus;* Ouid. *nostros uidisti flentis ocellos.*

10 *praesumere, audere;* ex more deterioris aetatis.

11 *sit, liceat.*

12 sqq. aperte respicit fauorem Caesaris antea per similia partum praestigia; cf. Porf. et Const. epistulas.

12 *saeclo; saeculum aequales,* ut infra 33 et ita saepe.

14 *amplius,* suppl. *solito.*

16, 17 *sic uaga primus, haud audita ligas.* dicere uidetur Porfyrius, Constantini primum fauore se impulsum, ut dispersa ante carmina artificiosa in unum colligeret corpus.

17 *dictis* suppl. *meis.*

19 *meo fauore,* pro *amore mei.*

21 *concordi saeclo* abl. *Romae* dat. *sibi, ei* i. e. *Romae.*

23 *tua,* Constantinum alloquitur.

25 *imperiis fecunde;* Verg. aen. IV *grauidam imperiis Italiam.* — *omine Crispi, ductu auspicioque.*

25—28. haec ita uidentur esse accipienda: 'paras iam per Crispum Romano imperio oceani littora, ex quibus emersa terra Francorum demonstrat deum, cui ultima plaga mundi patet.' similiter Pedo Albino-

uanus de Germanico per oceanum nauigante dixit: *quid sacras uiolamus aquas diuumque quietas turbamus sedes?*

28, 29 *ut melior;* ita Hor. c. l. I: *ut melius, quidquid erit pati.*

28 *caeso limite* i. e. *perrupto limite imperii Romani.*

28, 29 *uictor rite, Crispus.* 29 *atauo, Claudio.*

30 *magnanimum sidus,* quia inter deos est relatus.

32 *auges;* Constantinum alloquitur.

35 *sub orbe* pro *in orbe* ex more deterioris aetatis, ut XIII, 10.

XI, 2 *quis, quibus.*

5 *poli diuisa, in diuersa parte mundi posita.*

8 *insignit, dux.*

9 *plaga maxima mundi, oriens.*

XII, 1 *consul;* illo tempore iam sex consulatus egerat Constantinus, qui anno 326, quo Romae uicennalia celebrauit, septimum fuit consul. ad hunc tamen panegyricum referri non posse in prooemio est expositum.

3 *dabis, exhibebis.*

8 *caelo capit, ex caelo recipit. influit illuc, in dona largi boni.*

9 *subiuit;* cf. d. r. m. 399. ita XX a *siuit.*

13, 14 *qua — dextra;* haec obscura, ut non intellegas.

15, 16 *ad omen pacificum;* pendent haec a *concordia.*

18 *gentes uolentes;* cf. XIV, 33, 4; Verg. georg. IV, 561, 2.

XIII a, 1 *sub axe, sub caelo.*

2 *iustis populis* dat.

5 *Oriens quietus ibit,* deuicto Licinio. — *auctor* uocatiuus.

6 *domini, dei.*

8 *uigore* iungend. cum *praestat. serena* aduerb.

9 *superis sanctis* dat.; ceterum similiter praedicat Lucretius III, 14 sqq. Epicuri se doctrina adiutum ipsas diuum sedes penetrare oculis.

XIV, 11 *Syene,* Aegypti ultimae oppidum. Notum est, Aegypti incolae quam difficiles se praebuerint imperatoribus plerisque, etiam Constantino.

17 *oris lustra tui; lustrum* hic idem puto esse, quod adspectus, ut lustrare interdum adspicere.

22, 23 *gens nobilis ortu Aethiopes,* iam ab Homero celebrati.

25—27 de Saporis Persarum regis ad Constantinum legatione refert Eusebius IV, 8.

29 *bono* dat. final.; *orbis* gen.

33 *orbes, occidentem et orientem. — pares, aequo iure.*

XV. in hoc carmine uix quidquam notandum. omnino scripta Porfyrii ea, quae non nimis obruta mole artificiorum, satis sunt facilia ad intellegendum.

5 de uu. rhopalicis cf. d. r. m. 462.

9—15 de uu. recurrentibus dictum ib. 462, 3. reperiuntur tales etiam in anthologia Graeca.

9, 10 haec melius ad sequentia trahuntur, quam cum praecedentibus nectuntur.

11 *tunc* iungendum cum est *placitum.* — *haec* iungend. cum *gaudia.*

12 *perpetuis saeclis, in s. p.*

12—15 haec ubi recurrunt ita explicanda:

imperium patris et (patri dant sidera) saeclis
munera partiri sic bene perpetuis.
Romae aurea lux tu data magnae. tibi, sancte,
metra ardua uates, tibi ruris canit ista.

XVI, 2, 3 *linguae* pendet a *munera, Graiorum* a *linguae. inclyta l. m. G., litteras alphabeti Graeci.*

4 *cecinit, Musa.*

16 *Tyrii, Carthaginienses.*

17, 18 *tranquillis karior urbi Africa temporibus*, quia ex ea commeatus in urbem aduehebantur.

21 *fatis* abl. 22 *nomen, Caesareum.*

27 *rata, perfecta, bonum exitum habentia. rata* producta priore; cf. de r. m. 349.

32 *tui* nomin. *spectant, exspectant*, ut saepius hac aetate.

schol. u. 2 *κρατέειν, esse inuictum.* u. 3 *εὐνομίης ἄρχειν τε, et auctorem esse legitimi rerum status.*

XVII. hoc carmen a scholastico aliquo additum esse suspicor.

2 *Musa Maronis;* Aus. Cup. cr. aff. 1 *aeris in campis, memorat quos Musa Maronis.*

3 *proprium sentire, proprius sensus.*

5 *finis* accus. — cet. post h. u. exciderunt, quibus indicaretur uersus rubrica scriptos nunc recta uia, nunc obliqua descendere uel ascendere.

10 *longum poteris implere uolumen;* quia praeter illos decem etiam hos uersus licet concinnari:

Augusti florem pietas sustollet in astra.
Aonii frutices, p. s. i. a.
Aurea uictorem pietas iuuat armaque diua.
A. u. p. magis ornat aperta.
Aucta deo uirtus Musas iuuat armaque diua.
A. d. u. M. sonat ubere lingua.
Aonios latices pietas magis ornat aperta.
A. l. p. sonat ubere lingua.

16 *aperta, patefacta carmine.*

18 *armaque diua* nomin. 19 *arma, tropaea* nomin.

XVIII, 3 *munia Graium;* quia tota Haemi peninsula iam post prius bellum cum Licinio gestum in dicionem cesserat Constantini.

4 *in censum, Romanum.*

5 *Getas* pro *Getes,* si recte habet id quod traditum est. *campo,* ut Galli *champ de bataille.* *torua lumina perdit, tibi arridet.*

6, 7 haec ita uidentur esse accipienda: *etiam Armenii inconstantis dux, curuo turmae ictu felix, pila sua, tibi auxiliaturus, comminus te ferre uult.* *comminus* c. acc., ut ap. Propert. III, 12, 22. *sol,* de homine eximio, ut saepius.

8 *refert, in memoriam reuocat.* *exortos,* contra imperium Romanum. Francos saepius a Constantino et Crispo uictos satis notum.

9 *tonsus;* etiam in nummis Constantinus fingitur *tonsus;* cf. tabulam aere expressam ap. Cohenium, descr. numm. imperatorum temp. excus. VI, 121. — *germinat,* transitiue dictum. — *exul,* quia in ultimis imperii Romani partibus est positus.

11, 12. haec ita uidentur esse explicanda: dat tibi, ultor imperii Romani, rex Sarmata occasionem adito ditionis Romanae limite uincendi florenti ductu per milites Latiales Gothos. Sarmatas a. p. Chr. 332 Romanorum opem aduersus Gothos et implorasse constat et impetrasse. sed uidetur iam antea Constantinus rogantibus Sarmatis bellum gessisse cum Gothis. refert certe Eutrop. X, 7 eos post ciuile bellum uarie profligatos ab illo. etiam Licinium a. 323 Gothorum auxilio aduersus Constantinum usum constat.

13—15 *uidit uictorias tuas Occidens pariter et Oriens.*

13, 14 *uelifer pontus,* ut Verg. *mare ueliuolum.* — *aestu in Oceano; Oceano* adiect., ut ap. Tac. ann. I, 9 *mari Oceano.*

16 uersus obscurissimus. uix enim credo illud *age* esse graecum uocabulum ἄγη, quod admirationem significat.

15 *rudis radii* gen. qual. — *exorta* potius nomin. quam accus.

22 haec sic accipienda: *sit uis tua in uicinis imperio Romano populis pollens, gratia per ultimas partes mundi.*

23 *talis,* qualem uides; cf. XIX, 6 *tali liquore.* — *fixa* accus. — *suis signis,* i. e. *litteris rubricatis.*

24 quia uersus intexti omnes eodem constant metro dactylico.

26 *legibus Iani, quouis nouo anno ineunte.* — *auus;* ita in rubrica c. X perscriptum est: *pater imperas, auus imperes.* — ceterum u. 26 pendet a praecedente.

28 *apex, insigne regiae dignitatis,* hic idem quod *imperium Caesaris.*

uersus totus sic explicandus: *gaudet Caesar tot maria in alium statum redigi pacis munere.*

29 *clauigeri Iani;* cf. Ou. fast. I, 99. — *iungere,* foedere.

31 *in ora, quam carpi ab hominibus uix sciet Haemus, remotissima pars septentrionis.*

32 *cultus in rem, in usum cultus. curuantibus enses, enses in aratra mutantibus.*

33 *niuea, caelesti. Ponti decus,* Nicomedia.

34 *Tuscos, Italos. tuemur;* non tam semet ipsum, quam totum occidentem significat Porf.

XIX, 3 *quis* ablat.

4 *nouis uotis* pendet ab *exultans.*

5 *Clarii genitoris Calliopeae,* quia Musis praesidet; cf. Burm. ad aen. I, 155.

7 *profluere* c. accusat. ex more deterioris aetatis, ut Florus: *effluas dulcem liquorem.*

8 haec ita intellegenda: *et Musae Heliconiae munifico ex pectore numen, quale nunquam antea percepi, in me conuertant.*

9 *canendo* pendet a *numerosa.*

10 *Gazzae nobis dat Graecia dona.* haec quo pertineant, incertum. tradunt Euseb. u. Const. IV, 38 et Sozomenus hist. eccl. II, 5 Gazam Palaestinae emporium in maius auctum a Constantino; nec tamen apparet, his num possis uti ad locum, de quo agitur, explicandum.

11 *Blemmyico.* narrat Eusebius I, 8 ad Blemmyas et Aethiopas usque Constantinum protulisse imperium. idem IV, 7 Blemmyon Indorumque et Aethiopum ad Constantinum legationes memorat.

12—15 in his merae tenebrae.

16 *uisus, species* ut supra.

18 *auia,* ut Lucret. *auia Pieridum peragro loca.*

19 *retito* uidetur esse dictum pro *irretito, intexto.*

20 *plaudere* cum accus., ut *sibilo.*

21 *Pythie,* ut XVIII, 24 *Delie.*

23 *mare Sigaeum,* quia Nicomediam tendit nauis. ceterum alibi rectius scribitur *Sigeus.*

24 *Noctiferum totum; Noctifer* dictus pro *Vespero,* et is pro *nocte.*

25 *pulpita, tabulata nauium.* glosae: *pulpita σανίδωμα ἐπίπεδον.* hic autem nota figura tota nauis indicatur. — *uisam* i. e. *expressam uersibus rubricatis.*

26 *tuo,* Constantinum alloquitur. *tuo, quod tibi dicatum est.*

27—32 etiam haec obscura.

28 *ficta* repetendum a *figo.* 29 *flumine, orationis.*

30, 31 haec fortasse ita accipienda: *num contemnat mentem bonam meam clementia Caesaris, cum sibi finitis bellis reddit ludos uicennales is, quo electo sic crescunt nobis aurea saecla.*

33 *bis uicennia*, quadraginta imperii annis actis.

34 *miro de nomine*, tuo.

schol. e uersibus Graecis, qui decurrunt in monogrammo Christi, et in ea parte carminis, quae speciem praebet gubernaculi, priorem, qui apud Velserum extat pessime corruptus, ita conati sumus ad sanitatem reuocare, ut A litteram pro Graeca *Δ*, O pro *Ω* adhibitam esse statueremus. praeterea memoria dignum, uocabulum *δεισωσμος*, quod ita oritur, alibi non inueniri, ut tamen appareat esse fictum secundum leges analogiae. est autem idem, quod Latine: *timens ne quassetur.*— *νομίζειν*; inf. positus pro imperat. — *summis tropaeis* iungendum cum *tutus. cumulata* aduersa quaelibet. — post u. illum *spe quoque Roma boni* quaedam apparet hausta, quibus de uerbis in litteris *VOT* decurrentibus ageretur.

XX a. carmina quae uocantur figurata habes Graeca syringa Theocriti, quam putant, Simmiae securim et ouum atque alas Amoris, Doriadae et Besantini aras, quae nuper typis repetiit Bergkius anthol. Gr. pgg. 510—518. hi tamen lusus ut minore cura numeri litterarum nec pari simplicitate metrorum, ita difficiles magis et intricati Porfyrianis.

2 *Caesarum* etiam referendum ad *Martios labores.*

7 *augusta* iungendum cum illo *tropaea.*

10 *totis, omnibus.* 11 *ordo, senatorius.*

25 *Foebi*, ut c. XXI *Porfyrius* et c. XXII *Fryx.* quod uulgo fertur *fonte Phoebi* quomodo possit expediri, non uideo.

XX b, 2 *sui* i. e. *textorum.* 7 *postremo* aduerb.

8 *ascensu iugi, continuo.*

8, 10 *claudat, dinumerans, cogens, Clio.*

13 *numero* litterarum. — *aequiperando, aequiperans.*

14 *haec species, organon.*

15 *modos, cantus modulos.* — *surget*, 'altius procedet' Wernsd. — *gradibus sonoris*, 'quos tubi sonori faciunt, ab acutis ad grauiores' Wernsd.

16 *aere cauo et tereti;* 'e quo confecti sunt tubi uel canales. hinc Claudianus *segetem ahenam* uocat, Hieron. ad Dardanum *cicutas aheneas*' Wernsd. — *calamis crescentibus*, 'ut in fistula pastoricia, cui *crescit arundinis ordo*' Wernsd.

17 *quis* pro *quibus*, et est datiu. — *subpositis quadratis plectris*, abl. abs. '*plectra quadrata, tabellae quadratae;* Vitruuius *regulas* uocat, quibus tactis cietur sonus calamorum' Wernsd.

19 *spiramenta; 'foramina, epistomia, aperturae,* ut uocat Vitruu., quibus apertis admittitur spiritus in canales' Wernsd.

20 *uentis, folliculorum.*

21 *haud sibi discors, congruus inter se et conueniens.*

23 *compositum — propriumque,* neutr. — *praestat, praebet.*

24 *quodque, et tale ut.* — *frequenter* iungendum cum *intremefacta;* notum autem quam fuerit frequens hac aetate usus organorum hydraulicorum. — 25 *placitos, qui placuerint,* ut u. 19 *placitis.*

26 *praestringere, stupefacere.*

XXI, 1 *fors, fortasse.*

2 *tua iussa;* Verg. *tua Maecenas haud mollia iussa. tua iussa,* Bassum alloquitur.

3—6 haec ita uidentur esse intellegenda: *haec ludicra cum plausu affectauit ex uoluntate fausta Apollinis Musa, quae nouis curis sibi uincula indidit, ut canones Apollini dicati, interpositi lege alia quam legitime decurrentes uersus, iam diuersa arte flexuum insuper alios reddant sensus.*

7—14. obscurissima haec et Oedipo aliquo digna, non ut ausim adfirmare a me recte esse explicata. ceterum *Irim* uidetur dicere Porfyrius canones illos, qui sunt HICPAR, PVBLILIV OMNE GENVS, *astra* quadrangula quattuor, quibus reliqua, quae rubrica sunt perscripta, continentur.

7 *facies,* Bassum alloquitur. — *totiens cum confirmauerit aestus, timores sedauerit saepe recurrentes.*

8 *animus, mens.*

8, 9 *irim impleri* pendet a *facies.*

10 *dei aestus, furores poeticos ab Apolline iniectos.*

11 *uelit* coni. concessiuus. — *uelit,* is qui meditatur.

11—13 *colocat — parans — metuens* deus.

13 *uincto ab ortu, ab initio inde carminis, iam legibus seuerissimis adstricto.*

schol. *omne genus metri tibi pangens, optume Basse.* imitatus est totidem uerbis paribusque rhythmis h. u. auctor cuius pg. 32 positus est uersus: 'esse bonus siuis, cole diuos, optime Pansa.'

XXII. etiam in hoc carmine pleraque obscurissima. suspicor autem, quae in hac sylloge sunt difficillima, eadem esse antiquissima. ceterum apparet, datos hos uersus ad uirum nobilem et fauore Caesaris subnixum.

2 *die,* Apollinem alloquitur.

3 *qui praebeo fixas; qui,* ut uid., *cui fixas; hederas.*

4 *ec primis, a prima inde aetate.* — *tua, tuas artes.*

19 si legèris *omne,* post hoc uoc. erit ponendum comma.

24, 5 haec ita accipienda: *f. s. n., q. p. i. sens. pen. patr. S.*

sed iam satis. reliqua enim ita intricata, ut ne Ariadnen quidem ex hoc labyrintho exitum existimem inuenturam. quod cum ita sit, iam parcimus labori, apte recordati Martialis illud: *turpest difficiles habere nugas et stultus labor est ineptiarum.* ceterum memoria dignum etiam in cd. Salm. auctorum Afrorum inueniri carmina, quae non loquentium humano more, sed misere balbutientium esse uideantur.

in uersu per rubricam scripto quarto *spissa* est *difficilia*, *exigi perfici*, in quinto ad *docta* supplendum uidetur esse *series;* in sexto *necata* poni existimo pro *negata;* in decimo *per arta* referendum ad *breuiter fluas.*

XXIII, 2 *cupit omnia fari;* uidentur his uerbis respici ea, quae Graeco uersu interposito promuntur.

4 suppl. *se.* — *sontem* cur dicat amicum Porfyrius, non satis apparet.

6 *uoluerit*, *prouoluerit.* — *neu* i. e. *et cauens, ne.*

7 *karis telis*, *amoris armis.* sequentia uidentur sic esse accipienda: *cum uideat improba plane retinuisse mores cygni adulteri, ex quo genita est, Helenam, cui adulterio Thesei et Paridis maior adeo succreuit apud coniugem Menelaum gratia.*

9 *do nomina cuncta libenter.* ita Lucilius, ubi sui temporis feminas cum heroinis comparat: *atque alias, Ledam ipsam denique nolo dicere. tute uide atque disyllabon elige quoduis.*

10 *Musa*, Homeri carmina significat. — *Fryx coiux;* quia, Helena, cum Paris teneret eam, duplex iam adulterium commiserat.

XXIV, 6 *posito operto*, *positis tenebris.*

8 *tutum*, *morte carentem.*

9 *tenens prudensque*, *mens genitoris.*

13 *depulsos* propter peccata. 15 *fata*, *oracula.*

16 *ortus* hominum.

20 hic uersus ita uidetur esse intellegendus: *mox sumis humanam formam et uim, quae una facit ad salutem.*

24 *feta* suppl. *fuit.*

26 *casus utrumque;* haec uidentur dicta cum ellipsi, ut supplendum sit *prodit* uel *probat* uel simile.

27 *inuitans*, *commendans.*

28, 29 *quia* c. coniunct. ex more aetatis deterioris aut potius coniunct. adhibetur, quoniam dicta haec ex sententia Christi.

29 *humano*, i. e. *homini*, ut Lucret. III, 80.

35 *saluis signum dat machina sacra;* effusionem spiritus sancti uidetur significare Porf.

XXV. uarias haud ita raro interpungendi uias iniri posse in hoc carmine facile intellegent lectores musici.

2 *uincula, partes orationis* significat Porf.

3 *pectine*, i. e. *lyra*. sic lenissima usi correctione carmen, quod antea ineptissimum ferebatur, ad sanitatem reduximus. — ceterum codicum optimorum testimoniis LXXXIV uersus, non LXXII, ex primo themate effectos a Porf. asseritur.

XXVI, 2 *fabre, affabre.*

5 *his — templis;* 'respicit sine dubio aedem Apollinis et Musarum et collegium poetarum, quod in ea conuenire solebat' Wernsd.

5 *Camenae* etiam iungendum cum *sertis.*

6 *lucis carminum, lucis, carminibus siue poetis qui sunt dicati;* cet. conf. quae diximus ad Ph. III prol. 19.

9 *Lunae*, de Lunensi marmore multa Plinius et Namatianus.

10 *spiculum*, 'cestron uel caelum, quo saxa inciduntur, poliuntur' Wernsd.

11—18 his uersibus forma arae satis eleganter describitur, ut 11 pertineat ad uss. 1 et 2, 12, 13, 14 ad 2—6, 15, 16 ad 7—18, 17, 18 ad 19—24.

16 *quadrae, quadrati.*

XXVII, 1 cf. Tibull. II, 5, 27—30.

3 *totidemque cicutis*, 'quae dispari magnitudine et totidem numero sunt, quot soni efficiendi' Wernsd.

6 *tempe* appellatiuum, ut saepius.

8 *consortia, consortes unius instrumenti calamos.*

9 *Attis*, 'almum uocat quod ab Arnobio, Macrobio, aliis pro Sole habitus est, qui lumine et calore alit omnia' Wernsd.

10 *decus* accus.

11 *tuos Idaeos, mater, amores;* enallage, ut iam supra dictum.

12 *animauit — Musas, excitauit carmina.*

14 *uicina marito;* pastoris cuiuslibet amicam uel coniugem intellegendam recte monet Wernsd.

15 *inuitata, a marito.*

XXVIII, 13, 14 Herculis et Omphales respiciuntur amores; cf. Prop. IV, 10, 17 sqq.

17, 18 de Solis amoribus agit Ou. met. IV, 167—255; quem quidem locum a Porfyrio respici apparet.

18 *congeminat*, suppl. *hoc.*

30 *matrem*, cf. Ou. met. X, 503 sqq.

XXIX. *Veneris naufragus in pelago;* cf. Hor. c. I, 5, 13—16.

PVBLILII OPTATIANI PORFYRII

CARMINA.

TESTIMONIA DE PORFYRIO.

Porphyrius misso ad Constantinum insigni uolumine exsilio liberatur.

Hieronymus in chronicis ad annum Constantini XXIII.

Praeterea sunt metrorum genera perplura, quae in libris centimetrorum simplicibus monstrata exemplis, quisque cupiet, reperiet. Reperiuntur quaedam et in insigni uolumine Porphyrii poetae, quo ad Constantinum Augustum misso meruit de exilio liberari. Quae quia pagana erant nos tangere non libuit.

Beda de metris pg. 2380.

Siquem autem mouet, cum uniuscuiusque paginae uersus eiusdem numeri describere decreuerim, cur aliquas notas siue punctos eis interseruerim, agnoscat me hoc non tam necessitate quam uoluntate fecisse, ut lucidior sensus et locutio in eis fieret. ne hoc quidem uulgo nec frequenter feci nec sine auctoritate maiorum. Nam non recordor alicubi me fecisse in ipsis uersibus punctos nisi ubi 'quae' pronomen uel 'que' coniunctio fuit uel 'us' finalis syllaba dictionis, quod idem et Porphyrius fecit, secundum cuius exemplar litteras spargere didici.

Rhabanus in prologo libri carminum de laudibus Sanctae Crucis.

Othoni quoque imperatori epistolam . . . conscripsit . . . nullis sapientium istius temporis comparandam carminibus, ex Porphyriano utique sibi codice exemplar sumens. hunc uersum materiam et quasi fundamentum totius constituit operis:

Otto ualens Caesar nOstro tu cede coturnO.

Aymoinus de Abbone Floriacensi p. 331 bibliothecae ueteris Floriacensis, quae prodiit Lugduni a. 1606.

Ioannes Stabius ad imitationem Publilii Optatiani Porphyrii nuper a se reperti contexuit.

Subscriptum carmini quod Viennae editum in aduentum Imp. Maximiliani primi.

Domino Constantino Maximo Pio Invicto et Venerabili semper Avgvsto.

Fateor, domine Constantine, maxime, inuicte et non minus pietate
quam uirtute praecipue, quamuis auara atque ultra meritum cupida
paruitatis meae uota infatigabilis clementiae tuae dignatione superata,
quippe cui satis abundeque suffecerat carmen quod artioribus Musarum 2
inligaueram uinculis, in quo plus mihi sincerae deuotionis studium
quam ingenii mei paruitas praestitit, in tuas, augustissime imperator,
manus uenisse uictrices, legendum serenis oculis tuis. In quo mihi 3
pro Heliconii uerticis nemore, pro Castalii fontis haustu uersifico, pro
Apollinis lyra et Musarum concinentibus choris ceterisque quae poetis
mos est carmen pangentibus inuocare, tui diuini numinis aeterna feli-
citas et eius multiformis cum sua ueneratione praelatio incentiuum
cecinit ad audendum, et ad expediendum pariter ingenium tribuit et
effectum. Romanae Musae antistes nobilis Mantuanus, serena lux 4
uatum et fons puri nectaris fecundus, in carmine exultat ac se pluri-
mum iactat et iterum ac saepius Maecenatis testimonio gloriatur. Quid 5
ego faciam tenui pauper ingenio, meriti huc usque perparui? Caelestis 6
iudicii dignatione inmensum pondus inpositum est, eius imperatoris
testimonio, qui inter belli pacisque uirtutes, inter triumphos et laureas,
inter legum sanctiones et iura etiam Musis tibi familiaribus plaudis,
ut inter tot diuinae maiestatis insignia, quibus et inuictus semper et
primus es, huius etiam studii in te micet splendor egregius. Nimirum 7
agere gratias audebo, cuius exilis sermo ne pro minimis quidem referre
digne possit et *cui* tu, pie imperator, tanta praestiteris, ut istud pro
benefactis tuis ne a facundissimis quidem possit impleri? Etenim si, 8
ita ut sapientibus placuit, maxime imperator, aestimanda sunt, non
numeranda iudicia, qui huiusmodi testimonium consecutus sum pietatis
tuae dignatione caelesti, iam licet Parnasi iuga securus ingrediar et ab
ipsis Aonii uerticis adytis deducere audeam Musas, tutus, quacumque
mens ibit in carmina, et diuina iudiciorum tuorum auctoritate munitus
atque in mea blandimenta plus credulus uniuerso me orbi placuisse
contendam, qui placere potui totius orbis imperatori. Denique oratus, 9
augustissime domine, temeritati meae da ueniam et quae nunc quoque
pietatis tuae fauore ausus sum uersibus inligare, dignanter admitte:
audaciae meae fomitem auctoritatis tuae clementia suscitauit.

Invictvs Constantinvs Maximvs Avgvstvs.

Si tantum pondus et grauitas spectarentur in carmine, et Graeca
post Chium Maeoniumue uatem et Latina post rusticum Mantuanum
eloquentia siluisset, nec frustra culpabiles forent qui sibi materias pro
ingeniorum qualitate sumentes inani opera sudassent, cum penes
2 primos facundiae conditores gloria tota resideret, frater carissime. Sed
quoniam semper in propatulo usus istius fuit nec ulli negatum est id
ex ea uindicare, quod possit illos etiam quos posterius aeuum tulit
delectare, non penitus a fructu fauoris exclusi sunt, qui relictis gra-
3 uioribus sonis modos ad leuiora flexerunt. Inligauit alter cothurnis
affectus hominum, comoediis et prope cotidianis ac moralibus uerbis
locutus est *alter*, quibusdam inaequali pede elegia cantatast, multorum
4 digitos semiloquacibus chordis amor lyrae iucundus inseruit. Pro qua-
litate modulaminis ad singulos quosque expetitae laudis gratia redun-
5 dauit. Defuit quorundam ingeniis temporum fauor, qui non secus
doctrinae deditas mentes inrigare atque alere consueuit quam si cliuosi
tramitis supercilio riuus elicitus scaturrientibus uenis arua arentia tem-
6 perauerit. Saeculo meo scribentes dicentesque non aliter benignus
7 auditus quam lenis aura prosequitur. Denique etiam studiis meritum
8 a me testimonium non negatur. Liber adsidue cursus oratoribus fuit;
eos uero, qui uersibus dicerent, certis finibus lex metri statuta con-
tinuit: quare non inmerito illud usus inuenit, ut hoc genere dicturis
Heliconis aut Parnasi acra peterentur, cum mortalis ingenii deficiente
9 substantia necessaria uiderentur auxilia diuina. Gratum mihi est stu-
diorum tuorum felicitatem in illud exisse, ut in pangendis uersibus
10 dum antiqua seruaret etiam noua iura sibi conderet. Vix hoc custo-
ditum pluribus fuit, ut nodis quibusdam artis innexi citra interuentum
11 uitii inculpatum carmen effunderent. Tibi nominum difficultate oppo-
sita, numero litterarum, distinctionibus uersuum (qui ita medium corpus
propositi operis intermeant, ut oculorum sensus interstincta colorum
pigmenta delectent) hoc tenere propositum *contigit*, ut haesitantiam
12 carmini multiplex legis obseruantia non pareret. Gratum igitur hoc
13 mihi dicationis tuae munus fuit. Exercitatio mentis et naturae felicitas
14 conprobatast. Tu cum tibi uideas operis tui gratiam, quam ex meis
petiueras auribus, non perisse, et prouentu praesentis temporis exultare
debebis et non indebitam laudem ingenii exercitatione captare.

PANEGYRICVS CONSTANTINI.

I. [I.]

Quae quondam sueras pulchro decorata libello
  Carmen in Augusti ferre Thalia manus,
Ostro tota nitens, argento auroque coruscis
  Scripta notis, picto limite dicta notans,
Scriptoris bene compta manu meritoque renidens
  Gratificum, domini uisibus apta sacris,
Pallida nunc atro chartam suffusa colore,
  Paupere uix minio carmina dissocias.
Hinc trepido pede tecta petis uenerabilis aulae,
  Horrida quod nimium sit tua nunc facies.
Hos habitus uatis praesentia fata merentur;
  Vix locus hoc saltem praebuit unde uenis.
Supliciter tamen ire potes dominumque precari:
  Squalor et hae sordes conueniunt miseris.
Cum dederit clemens ueniam natumque laremque
  Reddiderit, comptis ibis et ipsa comis,
Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,
  Vt quondam, scriptis ambitiosa tuis.

II. [VI.]

Sancte tui uatis Caesar miserere serenus!
Auguste omnipotens, almo mortalia cuncta
Numine laetificans, nobis ad gaudia nomen,
Constantine, tuum fecundi carminis ex hoc
Te duce det Musas. nam tristis cura recusat
Egregios actus. iam sedent crimina Parcae.
Tunc melius dominum te uox secura sonabit,
Virtutum rector! potuit uix pangere uersu
Ista modo, et maesto sic saltim dicere uati
Vix mihi Calliope pauitanti conscia nutu

Adnuit, ausa precem uatisque edicere fata
Tristia, signato partes ut limite claudat
Iure pari carmen, mediis ut consona in omni
Sit nota prima sui et sit pars extima talis,
Ceu media e primis, occurrens aptius istic;
Ac laterum fines et pars, quae diuidit orsa
E medio, caput esse queat uersuque referre.
Sancte tui uatis Caesar miserere serenus!
Alme, salus orbis, Romae decus, inclyte fama,
Re melior, pietate parens, ad Martia uictor,
Mitior ad ueniam, permulcens aspera legum
Iustitia, aeternae uires et gloria saecli,
Spes data plena bonis et felix copia rebus,
Eximium columen ueterum uirtute fideque,
Romae magne parens, armis ciuilibus ultor,
Et summi laus grata dei, mens clara, superne
Rebus missa salus, per te pax, optime ductor,
Et bellis secura quies, sancta omnia per te.
Solis iura suis fidissima dextra maritis
Et sociale iugum praebet, consortia uitae.
Respice me falso de crimine, maxime rector,
Exulis afflictum poena; nam cetera causae
Nunc obiecta mihi uenia, uenerabile numen,
Vince pia et solito superans fatalia nutu
Sancte tui uatis Caesar miserere serenus!

III. [V.]

Fingere Musarum flagrarem numine uultus,
Alme parens orbis, perfecta in munia uersu,
Votaque si ratio non abnuat ordine Phoebi,
Gesta canunt, quos Aonium placabile numen
Vatis sorte frui dat, donis carminis ex hoc
Sustollens et uersu instigans ora sonare.
Tu mentem inspiras uatis; tu gaudia semper
In te, sancte, uocas. tu quiuis docta Camenae
Edere dicta fauens, tu laetus uota secunda;
Vt rata sint, audis; tua mitis rector Olympi
Tempora praecipua seruat pietate serena.

Aurea iam toto uictor tua saecula pollent,
Constantine, polo. haec nexus lege solutis
Dicturus metris magno mouet agmine Musas.
At mea uix pictis dum texit carmina Phoebi
Calliope modulis, gaudet, si uota secundet
Delius, intexta ut parili sub tramite Musa
Orsa iuuet, uersu consignans aurea saecla.
Sed tibi deuotam rapiunt ad gaudia mentem
Audenterque loqui suadent per deuia uoto
Aonides fretae; et (quantis sua uerba tueri
Legibus adstrictae!) te tota mente fideque
Vatis uoce tui, tua, princeps inclyte, tanta
Bella canunt, et Pegaseo noua carmina potu
Exercent, nexuque uolunt nunc rite sonare
Egregium imperium. tanto cor munere fungi
Et praecelsa iuuat uersu per scrupea fari.
Mentis opus mirum metris intexere carmen
Ad uarios cursus; uix, arto in limite clausa,
Nodosos uisus artis cata praeferat ex hoc;
Et tamen ausa loqui tanto mens aestuat ore,
Nec dignum uotis carmen sic reddere retur,
Tali lege canens; quae nostrum pagina sola
Ex Helicone (licet!) conplebit munus amoris,
Picta elementorum uario per musica textu.

IV.

PRAEFATIO.

Imperii fastus geminent uicennia signa.
    Pagina flexoso tramite uota notat.
Constantinigenis Helicon det talia natis
    Munera, deuotis haustibus ora rigans.
Hos rupes Cirrea sonet uideatque coruscos
    Ponti nobilitas, altera Roma, duces.
Sed nunc te uictor (uult norma id dicta sonorum)
    Contentum tenui munere Musa cupit.
Quor textu scruposa siet mea pagina simplex,
    Disserat Augusto Calliopea mea.

V. [XV.]

Victor sidereis pollens uirtutibus ibis,
Persica cum natis Latio confinia reddens,
Iam Nili princeps! laetis, Oriente recepto,
Quos tibi fida dicat concordia, diues Eois
Iam populis Parthis Medis unique dicatis
Augusto et natis, tu magna ad gaudia, sancte
Constantine, faue! te torto en carmine Musa
Et tua discriptis pingit uicennia metris.
At tu supplicibus, olim dux clarus in armis,
Da pietate fidem! maior mox gloria honorum,
Si tutos seruare queas post uota tropaeis.
Parcere iam uersis uirtus denuntiat alma.
Indus, Araps iam uota ferunt et Media diues,
Aethiopes gnari, rapido cum lumine surgit
Tethyos ex gremio Titan. sed et omnia laeta
Constantine bono nunc ludent otia saeclo.
Felix Musa, tuis possit quae digna referre
Praemia uirtutum meritis uel uoce sonare!
Quid, uaga, Pierios uersus sub uallis opaca
Ilice conponis? lauro quid carmina carpis,
Castali? os tota respondet uoce triumphos,
Quam dat fonte suo. Clario tu carmina prome
Vate deo digna: aut siquod perferet audens,
Maius opus nectens, mens tota mole subibit.
Spe pinget carmen, pangat si coepta Camena,
Compleat et uersu uariata decennia picto,
Ore secunda uouens, sub certo limite metri.
Otia Caesaribus pacis dedit, aurea saecla
Indulgens natis patriae pietatis honore,
Mitis iure deus. sed Crispi in fortia uires
Non dubiae ripa Rhenum Rhodanumque tueri
Vlteriore parant et Francis tristia iura.
Iam tu, sancte puer, spes tantae rite quieti
Missa polo saeclis. da Constantine serena
Tempora summe! pio tricennia suscipe uoto.

VI. [XXII.]

Martia gesta modis audax imitata sonoris
Musa per effigiem turmarum carmina texit.
Et nunc agmen agit quino sub limine rectum
Musigeno, spatium septeno limite distans,
Nunc eadem uerso relegens utcumque meatu
Mittit in amfractus non una lege cateruas,
Dissona componi diuerso carmine gaudens,
Grata nimis flexu docili de perpete metro,
Orsa iterum fini socians, confinia contra
Praeponens orsis, nullo discrimine metri.
Quin etiam partes mediae sua munia doctae
Expediunt. uersis uicibus, nam, fine sed uno,
Quamuis ambiguos cursus et deuia claudit
Ostentans artem uinciri scrupea. praebet
Sarmaticas, summe, strages. en, tota peracta
Vota (precor, faueas) sub certo condita uisu.
Factorum gnarum tam grandia dicere uatem
Iam totiens, Auguste, licet. Campona cruore
Hostili post bella madens artissima toto
Corpora fusa solo, submersas amne repleto
Victrix miretur turbas aciemque ferocem.
Plurima conabor, Phoebeo carmine gaudens,
Margensis memorare boni caelestia facta,
Introitus et bella loqui perculsa ruinis,
Quis deuicta iacet gens duro Marte caduca.
Testis magnorum uicina Bononia praesens
Sit uoti compos, excisaque agmina cernens
Det iuga captiuis et ducat cetera praedas.
Grandia uictori molimur praemia plectro
Dicere, nec satis est, uotum si compleat ore
Musa suo: quaecumque parat sub lege sonare
Scruposis innexa modis, perfecta camenis
Vult resonare meis et testis nota tropaea
Depictis signare metris, cum munere sacro
Mentis deuotae placarint fata procellas.

VII. [XXIII.]

Augustum specimen, mitis clementia, magne
Ausonidum ductor, tua, maxime, fortia Musae
Castaliae de fonte canunt. tu munera summa
Votorum da, Phoebe, mihi nunc, plena fauoris,
Da mentem sensusque pios insigne serenus
Imperium, natisque potens, ad martia felix,
Perpetuum saeclis, picto sub carmine fari.
Audentem, precor, ipse iuua me, gloria uatum,
Dicturum carmen, quamuis nunc copia Musae
Non talis possitque minus sub lege iuuari,
Versu aliud limo, aliud, quo pagina in omnis
Signatur modulos, discernat semita fandi.
Velle iubet numen, lux alma! et gaudia mundi
Instituunt; sequitur curas in musica Clio
Virtutesque tuas et mores pandere gestit,
Sancte, tuos; creuit nostrae fiducia menti.
Te duce namque pio gaudens sub munere nota
In iuga festinat Musis, ubi frondea semper
Tecta canunt artes et notae uatibus undae.
Indomitos reges seu pacis lubrica uictor
Aut bello sternens aut mitis foedere, nutu
Esse tuos facis agrosque exercere tuorum.
Auctior alma dei per te praesentia mundum
Respexit, reddens mox aurea saecula rebus,
Ostenditque deus rectoris tempora iusti
Aetherio nutu, placidis clementia iussis.
Per te perque tuos sunt omnia mitia, uictor,
Natos, res populi florent ad gaudia mentis.
Caesaribusque tuis toto uictoria in orbe
Semper iure comes felix in saecula pollet.
Tantorum merita statues captiua tropaea,
Victor Sarmatiae totiens! en, accipe, clare
Ductor, ubique tuis uotorum reddita felix
Debita! iam conpos gaudet tua Romula pubes.
Rector rite suus nobis per saecula floret.

VIII. [XVII.]

Accipe picta nouis elegis, lux aurea mundi,
Clementis pia signa dei uotumque perenne!
Summe, faue! te tota rogat plebs gaudia rite,
Et meritam credit, cum seruat iussa timore
Augusto et fidei, Christi sub lege probata.
Gloria iam saeclo processit candida miti,
Adcumulans coetus et tota ornata serenis
Muneribus praestans natis, ut laurea uota,
Virtutum titulos, primis iam debeat annis,
Progenie tali genuit quos nobile saeclum.
His decus a proauo; et uerae conscia prolis
Roma cluit princeps, inuicti militis, alma,
Otia pacis amans. haec sunt mitissima dona,
Hoc ataui meritum; uotis post editus orbis
Erumpens docuit, ne norint frangere fidei
Optima iura pares. curis sub Martis iniqui
Nullis laesa fides. hinc iugi stamine fata
Vobis fila legunt placida pietate secuta,
Et res Constanti nunc exerit inclita fama,
Aucta stirpe pia, uoto accumulata perenni.
Sancte, tuas sedes ad mentis gaudia migrat
Aetherio residens felix in cardine mundi.
Iam patriae uirtutis opus belline labore
An iusti meritis dicam mentisque serenae?
Et pia dona canam fecundaque pectora noto
Rite deo, sic mente uigent cui gaudia casta?
Claudius inuictus bellis insignia magna
Virtutum tulerit Gothico de milite parta;
Et pietate potens Constantius omnia pace
Ac iustis auctus complerit saecula donis:
Haec potiore fide, meritis maioribus orta
Orbi dona tuo praestas, superasque priora,
Perque tuos natos uincis praeconia magna.
Ac tibi lege dei iussisque perennia fient
Saecla pii sceptri te, Constantine, sereno.

IX. [XX.]

Castalides domino uirtutum tradite palmam!
Constantinus habet bellorum iure tropaeum,
Vindice sub dextra reddens feliciter orbem,
Consiliis iterum suadens et cuncta referre,
Roma, tibi. bellis cum saeua innectere possit
Vincla iugi, uirtus mitis non armat in hostem,
Set magno patiens docuit certamine parcens,
Quid pietas donet post pila minacia clemens.
Nunc mihi iam toto dociles Helicone Camenae
Mittite conpositas in tempora mitia palmas,
Nectite de metris uirtutum carmina et omnes
Concinite, ut fructu felix et principe digna
Det stirpes gratas, texens quas pagina uersu
Huic uoueat, titulo uotorum, carmine pollens.
Pierios mihi, Phoebe, tuo de numine praestent
Fontes Castaliae, tua, si licet ire, peragrans
Mens iuga celsa petet, mecum si pangere uersu
Musa uelit tanto iam nunc sub principe laeta,
Laudis dona ferens, resonans insignia ramis,
Vincentum iustos audax, mihi fida triumphos,
Et meritum iustis tot reddere nobile palmas,
Aonidum quas ualle fluens alit unda rigatas.
Sancte, salus mundi, armis insignibus ardens,
Crispe, auis melior, te carmine laeta secundo
Clio Musa sonans. tua fatur pulchra iuuentae.
Nobile tu decus es patri, tuque alme Quiritum
Et spes orbis eris. nos mentis culmine, Caesar,
Tu uincens pacis gratissima foedera semper
Indulge, et facilis gentes adiunge rogantes,
Facque tui iuris, gaudens uirtutibus auctis.
Constantinus item, laus orbis, gloria saecli,
Romuleum sidus, lux clemens, inclita fratris
Nobilitas proauis, uerum et memorabile fama
Restituit uictor Caesar nomenque decusque.
Sancte pater, rector superum, uicennia laeta
Augusto et decies crescant sollemnia natis!

X. [XXI.]

Calliope cane plura procax! en ore serenus
Fontis Castalii deus audiet. inde canoros
Mens furit in nexus, et felix currere uotis
Iam se credet ouans. libet ire per auia sola
Impete, quo gressus effandi optata cupido
Inuitata tulit. mens tantum, maxime Caesar,
Aoniae nodos amplectitur. incitus aethra
Funde, pater, coeptis Musas! ad mutua uersus-
Scrupea fingentem tam duro carmina uersu
Ludere fas nobis, praesumere! dicere metra,
Gaudia uel tenui mea pandere sit mihi, Musa!
Tantus honor me iure suo per sidera saeclo,
O decus Ausoniae, tulerit! sic parua locuto
Amplius en, iudex dominus, tot munera summa
Tantaque concedis. tu mentem dicere donis
Inuitas laudis cum munere. sic uaga primus,
Haut audita ligas; nec dictis laesa Camena
Audet magnanimo uati noua uincula mentis
Iussa dare creuitque meo correpta fauore.
En age! iam reddit uotis pia praemia magnus!
Concordi saeclo Romae decus et sibi mundi
Iura sui, tot lux populis orbique tropaeum
Sic data sunt. isto maior tua gloria terris.
En! Auguste, tuis praesens et tantus ubique,
Imperiis fecunde, paras nunc omine Crispi
Oceani intactas oras, quibus eruta Franci
Dat regio procul ecce deum, cui deuia latis
Tota patent campis. ut caeso limite uictor
Rite atauo summo melior! cui Claudius acer,
Magnanimum sidus, dat clarum e numine diuo
Imperium, Virtus quem felix optat alumnum.
Auges flore tuo nostrae tibi debita uitae,
Orta micat fratrum fatalis gloria saeclo,
Res Latia ut uoti compos sic gaudeat aucta.
Aspice! pacato parta est lux laeta sub orbe.

XI. [VIII.]

Fortia facta ducis toto dominantia iam nunc
Orbe canam, quis laeta suo sub principe tanto
Rursum Roma tenet, mundi caput, inclita culmen.
Tu uatem, tu, diua, mone! lacerata cruentis
Imperiis pars fessa, poli diuisa, gemebat
Sceptra et Ausoniae maerebat perdita iura.
Siqua fides, tantis Romanum Gloria nomen
Insignit titulis, dominos ut libera quaerant.
Maestaque iure suo trepidat plaga maxima mundi,
Vnde iubar lucis primum radians Hyperion
Sideribus pulsis rutilo diffundit ab ortu.
Inde tuum nomen multum memorabile cunctis,
Maxime bellantum domitor, lux unica mundi,
Perpetuis uotis cupiunt, uenerabile numen
Exoptant, seruire uolunt (mirabile dictu!)
Remque laremque suum (tanta est tibi gloria iusti).
Augusto iuuat ecce tuo sub foedere iam nunc
Totum orbem post tot caedes, quas fessa gemebant
Omnia, nunc nullo tandem trepidantia motu,
Romuleis seruire piis, pater inclyte, iussis.

XII. [VII.]

Constantine pater, tu, mundi gloria, consul,
Ecce tuo renouata dabis tot aperta labore
Regna per innumeras gentes. mox carus Eois
Tot populis pia iura feres, et solus in omni
Augustus mundo sparges et in ultima nomen.
Sol tibi felices faciet spes perpete nutu.
Ars bona iustitiae et diuum uicina decori
Largi dona boni caelo capit. influit illuc,
Vota quod optarint pietatis. cana subiuit
Sancta Ceres; tellus reddit Bacheia lapsa
Riuis dona suis; non Euri e flamine turbant
Enormes pelagus; stat mitis principe noto
Res per iusta uigens oris, qua signa Booten
Vltima consocia tollunt in sidera dextra.
Maxime, iustitiae lumen, concordia ad omen

Pacificum te tota cupit iam saucia et orat,
Res fessas cito pace leues. tu iunge sereni
Orbis uota tui, gentes tibi iunge uolentes!

XIIIa. [XIII.]

P rinceps beate, placido sub axe iamnun C
I ustis serene populis, fauente mund O
V ictor triumpha tribuens, salubre nume N
S aeclis amore dominans perenne fausti S
A uctor salutis! Oriens quietus ibi T
V otis fauente domini superne dextr A
G audet subire placidum regentis ome N
V irtus uigore radians serena praesta T
S anctis uidere superis remota mund I
T otum sub orbe moderans, salubre nume N
V inces ubique superos fauente nut V
S aeclum per omne dominans, beate, solu S

XIIIb.

Iamnunc sub axe placido, beate princeps,
Mundo fauente populis serene iustis,
Numen salubre, tribuens triumpha uictor,
Faustis perenne dominans amore saeclis,
Ibit quietus Oriens, salutis auctor!
Dextra superne domini fauente uotis,
Omen regentis placidum subire gaudet.
Praestat serena radians uigore uirtus
Mundi remota superis uidere sanctis.
Numen salubre, moderans sub orbe totum,
Nutu fauente superos ubique uinces,
Solus, beate, dominans per omne saeclum.

In hac pagina uersus est ex dimidio iambico et dimidio trochaico constans, qui dum fit reciprocus [procius] trochaicam partem in iambicam uertit et iambicam in trochaicam. Eadem pagina in acrostichide habet

Pius Augustus,

in telestichide

Constantinus.

XIV. [XVI.]

Sancte, decus mundi ac rerum summa salutis,
Lux pia terrarum, te solo principe saeclis
Inmensum gaudere bonis datur. aurea uenit
Summo missa deo fusis, pater alme, tyrannis
Iustitia in terras et gloria candida ueri,
Teque duce mage grata fides et iura renata,
Totaque perculsis ingenti mole tyrannis
Aspera uis posita est belli. res Itala iure
Sceptra dabit populis. uoto pius orbis Eoi,
Auguste, inuictas mundi transibis in oras,
Teque suplex totis ducibus stipata Syene
Orat iura, cupit lucis sibi gaudia nostrae,
Optat, amat. fallax en! perfida tela fugarum
Parthus deposuit, ruit oris undique rubri
Litoris aetherio e nutu certamine amoris
Medus, Araps mox omnis ouat laudare sereni
Oris lustra tui, dat ueris, sancte, tropaeis
Haec, mage felices titulos, uincas ut amore
Aurea perpetuo restaurans saecula mundo.
Indus et Aurorae miles, quos flumine Nilus
Tangit, fecundis uenturus frugifer undis,
Orantes pia iura petent; gens nobilis ortu
Aethiopes cuncti parent; optataque mundi
Tempora laeta dedit nobis felicius aeuum.
En! suplices Persae iura sibi regia nolunt,
Te dominum malunt, fusi tua semper adorant
Ora, suis cupiunt totis tibi cedere regnis.
Tu pius et iusti uere memor, inclyte, laetis
Da responsa! bono semper mitissimus orbis
Inpertire tuum clementer et addito numen!
Sunt mage felices, pariter quos, alme, tuere!
En! reparata iugans maesti diuortia mundi,
Orbes iunge pares, det leges Roma uolentis
Principe te in populos miti felicius aeuo.
Omnia laetentur florentibus aurea rebus.

XV. [III.]

I. Alme, decus mundi summum, rector pius orbis,
II. Auguste, inuicta populos uirtute gubernans,
III. Iustitia imperii nationum Constantine
IIII. Effrenatarum moderamine pacificator,
V. Quem diuus genuit Constantius induperator,
VI. Aurea Romanis propagans saecula nato;
VII. Heu nimis ad caelum properans, ni linqueret ille
VIII. Aeternum auxilium inuictum iustumque piumque.
VIIII. Alme pater patriae, nobis te, maxime Caesar,
X. Ausoniae decus o, lux pia Romulidum,
XI. Est placitum superis tunc haec in gaudia mundi
XII. Perpetuis bene sic partiri munera saeclis.
XIII. Sidera dant patri, et patris imperium,
XIIII. Sancte, tibi, magnae data tu lux aurea Romae.
XV. Ista canit ruris tibi uates ardua metra.

In hac pagina primus uersus ex disyllabis partibus orationis constat, secundus ex trisyllabis, tertius ex tetrasyllabis, quartus ex pentasyllabis, quintus ex una duabus tribus quattuor quinque syllabis ['syllabis' om. B1; 'constat' add. B2, V] qui dicitur rhopalius ['hopabos' B2, 'Torpalius' V; 'q. d. rh.' om. B1; in V adi. 'siue Symphalicus'], sextus ex quinque partibus orationis, quarum manente ultima ceterae quattuor per uices ordinem suum mutant. Septimus de octo partibus orationis solus constat, nec bis ullam partem habet, nec minus aliquam. Octauus per omnes ['casus' add. B1, 2, V] declinatur. Nonus ad directum heroicus et reciprocus heroicus est. Decimus ad directum pentameter et reciprocus pentameter est [ita B2; 'e. r. p.' om. B1, 'pent. est et reciprocus aeque' V]. Vndecimus ad directum hexameter est et reciprocus nulla dempta ['ademta' B1, 'adempta' B2, 'exempta' V] littera uel syllaba fit idem pentameter. Duodecimus heroicus est, tertius decimus pentameter. Dum redeunt, pentameter ['d. r. p.' om. B1, V] fit heroicus et heroicus pentameter ['e. h. p.' om. B2]. Quartus decimus et quintus decimus ad directum heroici sunt, dum redeunt sotadici.

XVI. [X.]

Dissona conexis audet componere uerbis
Omine mens elata bono. iuuat inclyta linguae
Munera Graiorum Musa modulante nouare,
Inque uicem, uersu cecinit quae forte Latino,
Nunc alio textu Graecorum in carmina duci,
Ordine ut in duplicem nectatur littera uocem.
Nunc age facundae referant pulcherrima Musae;
Ore sonet docili chelys inclyta carmina Phoebi.
Spem rerum iustumque canam summamque salutis
Te dominum, bona dona dei, te, magne, parentem
Romanum, gratumque orbem tibi, maxime, semper,
Omnia quod certa respirant mente quietem,
Cum placidi spectent hostiles mille triumphos,
Omnia plena bonis tua, Constantine, Quirites.
Nil sibi crediderint karum mage te, decus orbis.
Seruatos Tyrii se semper uindice dextra
Te domino exultant; tranquillis karior urbi
Africa temporibus potitur seruata quiete,
Nunc se felicem, nunc se sub numinis arce
Tutam, quod Carthago decus uenerabile gestat,
Iure putat: tantum fatis, lux inclyta, praestat
Nobile te domino nomen; spes et decus almum est.
Omnis ab Arctois plaga finibus horrida Cauro
Pacis amat kana et conperta perennia iura,
Et tibi fida tuis semper bene militat armis,
Resque gerit uirtute tuas populosque feroces
Propellit caeditque, habens tibi debita rata;
Et tua uictores sors accipit. hinc tibi fortes
Teque duce inuictae attollunt signa cohortes.
Vndique te comitata dei pia numina summi
Omnibus ultorem praebent, et iura fidemque,
Alme, tui spectant. respondent omnia uotis.
Vndique pakatis saluator maxima rebus
Gaudia praestabis, dabis otia uictor in orbe.
Virtutum meritis uicennia praecipe uota.
Saeclorum creuit gemino spes Caesare certa.
Tuque, o sancte parens, olim post mille tropaea,
O lux Ausonidum, dispone sceptra nepotum.

XVII.

PRAEFATIO.

Sunt septem numeroque pares ac lege metrorum
Consimiles uersus. genus est quo Musa Maronis

* * *

His proprium sentire subest. mens sufficit uni.
Iure suo sibimet cedunt. alius tenet ortus
Alterius finis, lector. qua littera monstrat

* * *

Directi, dociles nunc sistere tramite cursus.
Nam quemuis medium uenientis semita sulcat.
Si uerbum textum pertemptes ore Latino,
In sese alterno conectens ordine uersus,
Vota sonans longum poteris implere uolumen.
Ne tamen ambages error sinuosus haberet,
Ordine perscribtos minium reserare ualebit
Versus, quos titulis Augustus uictor honestat:

Alme tuas laurus aetas sustollet in astra.
Aurea lux uatum, siluae mihi praemia serua.
Aucta deo uirtus Musas magis ornat aperta.
Aurea uictorum pietas sonat ubere lingua.
Aonios latices pietas iuuat armaque diua.
Augusti florem pietas iuuat, arma, tropaea.
Aonii frutices, pietas iuuat ubere glaeba.

XVIII. [XIX.]

Alme, tuas laurus aetas sustollet in astra.
Luce tua signes fastus sine limite consul!
Marte serenus habes reiecto munia Graium,
Et Medi praestas in censum sceptra redire.
Torua Getas campo clarus ut lumina perdit,

Vult curuo turmae felix sua comminus ictu
Armenii dux ferre leuis, sol, te quoque pila.
Sic et uicta refert exortos Dacia Francos.
Lege tuus tonso Rhenus tibi germinat exul
Agmina, telorum subeant qui murmure bella.
Vincere florenti Latiales Sarmata ductu
Rex tibi posse Getas uiso dat limite, ultor.
Vidit te, summum columen, qua uelifer aestu
Serus in Oceano pressit iuga Nysia pontus,
Atque rudis radii scit lux exorta tropaea.
En, gaudent pietate altis pars perpete age.
Tu uatem firmes dictus! te nunc lyra cantet!
Aucta deo uirtus Musas magis ornat aperta.
Solum uota notis late sua Romula dat plebs?
Sancte, tuis Clio permiscet uota tropaeis.
Visitur et crescit uictorum gloria cantu.
Sit uis uicinis, per Thylen gratia pollens.
Talis fixa suis signis lyra munera gestat,
Orsa pari uates quae perfert, Delie, rythmo.
Lumine muriceo uenerandus duxerit ut Sol,
Legibus ut Iani teneas auus orbe tribunal,
Egregios titulos pietatis habebis amore.
Tot freta pacis apex mutari munere gaudet.
India clauigeri Latium uult iungere Iani,
Nileus messor sua tradit castra, uel agmen
Arctos, quam carpi noscet uix Haemus, in ora.
Sic istis cultus in rem curuantibus enses
Te niuea iuuat arce frui. Ponti decus auget,
Roma soror, ueteres Tuscos, quos ore tuemur.
Alme tuas laurus aetas sustollet in astra.

XIX. [IV.]

Prodentur minio caelestia signa legenti.
Constantine, decus mundi, lux aurea saecli,
Quis tua mixta canat mira pietate tropaea
Exultans, dux summe, nouis mea pagina uotis?

Aemula quam Clarii genitoris Calliopeae
Composuit tali nunc mens perfusa liquore.
Versificas Helicon in gaudia profluat undas,
Clementique nouum numen de pectore uerset!
Namque ego magnanimi dicam numerosa canendo
Sceptra ducis. Gazzae nobis dat Graecia dona,
Saeclaque Blemmyico sociali limite firmas,
Romula lux! condigna nouis florentia uotis
Voto scripta cano oali Mars. cardine tecto
Iam bellis totum myseum perplectere ciuem
Vt pateat Rubicon parili petit aethera iure.
Nunc felix proprios pacis me scrupea uisus
Iam stimulat signis exultans Musa notare,
Gaudia laetus nunc per me notat auia Phoebus.
Retito quoque texta nouo cane laurea plectro,
Arte notis picta felicia saecula plaudens!
Sic aestus uates fido duce, Pythie, carpens
Nunc tutus contemnat, summe, procax; ego uero
Nunc mare Sigaeum ualeam bene frangere remo,
Carbasa Noctiferum totum si scrupea tendo,
Pulpita deportans. uisam contexere nauem
Musa sinit; coniuncta tuo spes inclita uoto.
Mentem per tortum fessam non frangat hiulco
Laus mea ficta pede stans magna mole docendi.
Signa palam dicam laetissima flumine sancto,
Mente bona. contemnat, summis cum sibi agonem
Votis post fractum Martem clementia reddet,
Sic nobis lecto quo crescunt aurea saecla?
Mox Latio uincens iam bis uicennia reddes,
Carmine quae pietas miro de nomine formet.
Flore notans uotum uario dat pagina felix,
Augustae sobolis memorans insignia fata.
Iudice te uel teste pio condigna parentis
Iungentur titulis felicia facta nepotum.

XXa. [XXIV.]

Post Martios labores
Et Caesarum perennes
Virtutibus per orbem
Tot laureas uirentes
Et principis tropaea
Felicibus triumphis
Augusta rite saeclis
Exsultat omnis aetas,
Vrbesque flore grato
Et frondibus decoris
Totis uirent plateis.
Hinc ordo ueste clara
Cum purpuris honorum
Fausto precantur ore
Feruntque dona laeti.
Iam Roma, culmen orbis,
Dat munera et coronas,
Auro ferens coruscas
Victorias triumphis;
Votaque iam theatris
Redduntur et choreis.
Me sors iniqua laetis
Sollemnibus remotum
Vix haec sonare siuit
Tot uota fronde Foebi
Versuque compta solo

Augusto uictore iuuat rata reddere uota.

XXb. [XXV.]

O si diuiso metiri limite Clio
Vna lege sui uno manantia fonte
Aonio, uersus heroi iure manente,
Ausuro donet metri felicia texta,
Augeri longo patiens exordia fine,
Exiguo cursu, paruo crescentia motu,
Vltima postremo donec fastigia tota
Ascensu iugi cumulato limite claudat,
Vno bis spatio uersus elementa prioris
Dinumerans, cogens aequari lege retenta

Parua nimis longis et uisu dissona multum
Tempore sub parili metri rationibus isdem,
Dimidium numero rythmo tamen aequiperando.
Haec erit in uarios species aptissima cantus
Perque modos gradibus surget fecunda sonoris
Aere cauo et tereti, calamis crescentibus aucta.
Quis bene subpositis quadratis ordine plectris
Artificis manus in numeros clauditque aperitque
Spiramenta, probans placitis bene consona rythmis,
Sub quibus unda latens properantibus incita uentis,
Quos uicibus crebris iuuenum labor haud sibi discors
Hinc atque hinc animatque agitans augetque reluctans,
Compositum ad numeros propriumque ad carmina praestat,
Quodque queat minimum ad motum intremefacta frequenter
Plectra adaperta sequi aut placitos bene claudere cantus
Iamque metro et rythmis praestringere quicquid ubique est.

CARMINA RELIQVA.

XXI. [XI.]

Pauca quidem cecini fors friuola. his quoque iungam
Ludicra. sic nostra panget tua iussa Camena.
Ambiit haec plaudens felicis numine Phoebi
Calliope partita nouis sibi uincula curis,
Flexibus ut primis discordi regula cultu
Hinc alia sonet arte super Pythoia flexus.
Sic facies, totiens cum confirmauerit aestus
Sic animus nec uictus iners sit saucius, irim
Impleri; uarias metricae grauioris ob artes
Tandem nosse dei meditantem uix licet aestus,
Rite uelit, medio dum in agmine colocat astri
Effigiem, trepidoque parans sermone latenter
Dicere nec metuens uincto sic omnia ab ortu
Pangere. sed rursum Bassus nunc prodere carmen
Imperat. hic docilis Musae de fonte meabunt
Ordine Castalio texti per nomina uersus.

XXII. [XVIII.]

Mirum opus est iunctos en tales edere uersus,
Sicque ligare hederis. paulum tu, die, rogatus
Mox ades! en quorsum rapies, qui praebeo fixas.
Sum tuus, ec primis tua discimus, ut tria felix
Nec fallax tribuens audaci in munere clarum
Aequiperes animum. nunc Clio carmina firmet.
Qui poterunt pangi? ponam ceu stamina normas,
Quae uerrant sese, quae uincula mitia curent.
Tu dabis has uires! tua rursum cosere praemia,
Ausibus in magnis laeta ad contraria curras.
Aonidum nam fonte graui micat ars noua uenis.
Immanest prorsum amplexu aut tot ocius onas
Prospicere plantare modos inmittat uti tum
Et proiiecta necet consumto ingloria libro
Si sapiunt et nostra cui succrescere acumen
Praesolidum densumque animi deducere uiua
Congruere cernant studiose qui bona calles
Legibus abstrusis quod carmina conspicorati
Blande animi iudex qui moribus omni agis auctu
Praemiro ostendis studia in rectore polita
Treusicolasque tuos auctus laetabile sumens
Intuitum quo prospera facta ac gaudia dones
Publica. nil prius est quod ui et nomine curas.
Fas sit Sidonii sensum in penetrale patroni
Noscere quae possis. illic nitor ociter eius
Conditur abstrusa generosum cogere censum
Pauperie. flagrant geminis noua gaudia uotis.
Diues Apollineis deaurat foedera plectris.
Hic nouit laudes doctus quaeque omine tanto
Sunt praeuisa bonis. tu dexter protinus esto
Cum sanctis, insiste fide festinus in amplum.
Clementi haec nutu Augustus tibi dona beata
Laudato tribuet, te consule praemia complet.
Hinc tua tunc festis noti sex nomina plausus
Plurimus ac prudens rerum quis torpeat usus
Degeneri ab spe molita plus ingruit. hinc iam
Suscipe uoto alacri hoc munus, uir bone, clare.

XXIII. [XIV.]

Ingemui grauiter, Graecum miseratus amicum,
Cui mea mens, admissa dolens, cupit omnia fari,
Solus ut haec occulta legens se concitet ira,
Vndique adflixum uinclis sontemque teneri,
Sed uitans multos, quos foeda ad iurgia coiux
Voluerit iratos, neu candida femina Graecum
Mox karis hebetet telis, nihil inproba cygni
Deposuisse uidens Helenam, cui gratia binis
Maior adulteriis. do nomina cuncta libenter.
Musa sonat Graecis. Fryx coiux, crede canenti.

XXIV. [IX.]

O qui Tartareas pede fauces proteris almo,
O miserate tuos, quis ignea templa supremi
Adnuis esse poli, pia lucis regna paternae,
Tu uirtus aeterna dei, tecum omnia, Christe,
Tunc pater exorsus, cum moles obsita pigro
Squalore emersit, positoque adrisit operto
Ante ortus hominum; sancto tu, diue, Tonanti
Secretae uires. quem tutum mens genitoris,
Sola tenens prudensque dei, deus, interioris,
Principii sobolem nullius, uasta cruento
Quod Mors regnabat leto, rata gaudia fudit
Ore medellifero, nec poena perpete frangi
Depulsos homines placuit natalibus astris.
Tum tu prostratis uitae uia, sed tamen olim
Praesago admonitu te uatum fata canebant.
Te, quià fecundus porro ortus error agebat,
Consilii ut summam rerum sator edidit ore,
O uere patris sapientia, Christe, opulento
Exertus uerbo, detrusum in uincula mortis
Mox hominem sumis, quaeque est uis una saluti,
Infima dignare quod naturae ordine recto,
Vt perculsa leues, inclinere ipse iacenti.
Non e terreno corpus tibi pondere tractum;
Praecelso sed uirgo uterum de semine feta;
Nec segni coitu natus, sed coniuge caelo es,

Corporeus uultu, deus actu: casus utrumque.
Inuitans iussa exemplis hominique dicatus
Aequalis dominus, quia lis onerosa caduco
Dicta sit humano, sperem ut diuina imitatu,
Ipse hominis titulo incedis, teque profanis,
Maxime, Iudaeis plectendum post pia mille
Munia permittis, letumque salubre luisti.
Mox necat humanas in se caro pendula noxas.
At pater in sedes natum recipitque uehitque
Aeternum. saluis signum dat machina sacra.

XXV. [XXVI.]

I. Ardva conponvnt felices carmina Mvsae
II. Dissona conectvnt diversis vincvla metris
III. Scrvpea pangentes torqventes pectine vates
IIII. Vndiqve confvsis constabvnt singvla verbis

Hi quattuor uersus omnes pari ratione conscripti sunt ita, ut manente ultima parte orationis ceteras partes omnes [omnium] uersuum ordinibus [ordines] tantum inuicem mutatis uel [mutati sua] ad directum uel ad reciprocum modum uariare possis, ita dumtaxat, ut primae partes cum primis uel quartis uersuum [uersibus] uices mutent, secundae cum secundis uel tertiis, et possis, si uelis, nulla parte orationis addita ex his quattuor uersibus mixtis LXXII [octoginta quattuor] facere ita, ut nullus sui similis sit.

Ardua conponunt felices carmina Musae,
Dissona conectunt diuersis uincula metris
Scrupea pangentes, torquentes pectine uates.
Vndique confusis constabunt singula uerbis. 4

Carmina felices conponunt ardua Musae,
Vincula diuersis conectunt dissona metris
Pectine torquentes pangentes scrupea uates.
Singula constabunt confusis undique uerbis. 8

Ardua (constabunt) torquentes carmina Musae,
Dissona conponunt; conectunt uincula metris
Scrupea confusis, diuersis pectine uates
Vndique felices pangentes singula uerbis. 12

Carmina torquentes (constabunt) ardua Musae,
Vincula conectunt; conponunt dissona metris
Pectine diuersis, confusis scrupea uates
Singula pangentes felices undique uerbis.

Vndique conectunt (constabunt singula) Musae
Scrupea torquentes; conponunt pectine metris
Dissona confusis felices uincula uates,
Ardua pangentes diuersis carmina uerbis.

Singula constabunt; conectunt undique Musae;
Pectine conponunt torquentes scrupea metris
Vincula felices confusis dissona uates,
Carmina diuersis pangentes ardua uerbis.

Carmina diuersis felices ardua Musae
Vincula pangentes conectunt dissona metris,
Pectine torquentes conponunt scrupea uates.
Singula confusis constabunt undique uerbis.

Ardua felices diuersis carmina Musae
Dissona conectunt pangentes uincula metris,
Scrupea conponunt torquentes pectine uates.
Vndique constabunt confusis singula uerbis.

Singula confusis pangentes undique Musae
Pectine diuersis felices ardua metris
Vincula conectunt; constabunt scrupea; uates
Carmina conponunt torquentes dissona uerbis.

Vndique pangentes confusis singula Musae
Ardua felices diuersis pectine metris
(Scrupea constabunt) conectunt uincula; uates
Dissona torquentes conponunt carmina uerbis.

Dissona torquentes (constabunt uincula) Musae
Vndique conectunt; conponunt singula metris
Ardua diuersis confusis carmina uates
Scrupea pangentes felices pectine uerbis.

Pectine conectunt pangentes scrupea Musae;
Carmina confusis diuersis ardua metris
Singula felices conponunt undique uates
(Vincula constabunt) torquentes dissona uerbis.

Scrupea felices diuersis pectine Musae
Ardua conectunt pangentes carmina metris,
Vndique conponunt torquentes singula uates;
Dissona constabunt confusis uincula uerbis.

Vincula confusis constabunt; dissona Musae
Singula torquentes conponunt undique metris;
Carmina pangentes conectunt ardua uates
Pectine diuersis felices scrupea uerbis.

Vincula conponunt conectunt dissona Musae
(Singula constabunt), torquentes undique metris;
Carmina felices confusis ardua uates
Pectine pangentes diuersis scrupea uerbis.

Scrupea diuersis pangentes pectine Musae
Ardua confusis felices carmina metris;
Vndique torquentes (constabunt singula) uates
Dissona conectunt conponunt uincula uerbis.

Pectine pangentes confusis scrupea .Musae
Carmina felices diuersis ardua metris,
(Singula constabunt) conectunt undique; uates
Vincula torquentes conponunt dissona uerbis.

Dissona conponunt torquentes uincula Musae;
Vndique conectunt (constabunt singula metris
Ardua diuersis) felices carmina uates
Scrupea confusis pangentes pectine uerbis.

XXVI. [II.]

Vides, ut ara stem dicata Pythio,
Fabre polita uatis arte musica,
Sic pulchra sacra dis agens, Phoebum decens,
His apta templis, quis litant vatum chori,
Tot compta sertis et Camenae floribus,
Heliconiis locanda lucis carminum.
Non caute dura me poliuit artifex,

Excisa non sum rupe montis albidi
Lunae nitente nec Pari de vertice;
Non caesa duro nec coacta spiculò
Artare primos eminentes angulos
Et mox secundos propagare latius
Eosque caute singulos subducere
Gradu minuto per recuruas lineas,
Normata ubique sic deinde regula,
Vt ora quadrae sit rigente limite,
Vel inde ad imum fusa rursum linea
Tendatur arte latior per ordinem.
Me metra pangunt de Camenarum modis
Mutato numquam numero dumtaxat pedum;
Quae docta seruat dum praeceptis regula,
Elementa crescunt et decrescunt carminum.
Has, Phoebe, supplex dans metrorum imagines
Templis chorisque laetus intersit sacris!

XXVII. [XII.]

Praecelsae quercus frondenti in uertice pendens
Testor templa loci Faunos celebrare frequentes,
Disparibus conpacta modis totidemque cicutis,
Dulcisono Panum oblectans modulamine siluas,
Naiadum Dryadumque choros arcanaque Bacchi
Orgia et heuuantis Satyros per musica tempe.
Me Pan ad thyasos docuit modulamina cantus,
Et uariata sonis uinxit consortia primus;
Almus amans Attis, tua maxima cura, Cybebe,
Me roseo terit ore decus mollique labello,
Accenditque tuos Idaeos, mater, amores;
Me non felices animauit Marsya Musas;
Me iudex formae alta gestauit in Ida;
Me laeti sociam uoti uicina marito
Eoo lucis canit inuitata sub ortu.

XXVIII.

VERSUS ANACYCLICI.

Blanditias fera Mors Veneris persensit amando,
Permisit solitae nec Styga tristitiae.
Tristitiae Styga nec solitae permisit, amando
Persensit Veneris Mors fera blanditias.
Omnipotens pater huic semper concessit amori,
Fecit nec requiem tot sibi fulminibus.
Fulminibus sibi tot requiem nec fecit, amori
Concessit semper huic pater omnipotens.
Purpureus tibi flos uultum non pingit, Iacche,
Monstrat nec mitem frons noua laetitiam.
Laetitiam noua frons mitem nec monstrat, Iacche,
Pingit non uultum flos tibi purpureus.
Occubuit minor huic fractis et uiribus astu
Torpuit oppressus Amphitryoniades.
Amphitryoniades oppressus torpuit astu,
Viribus et fractis huic minor occubuit.
Incaluit iubar hoc, externis ignibus ardens
Fortius; ardorem Sol sibi congeminat.
Congeminat sibi Sol ardorem; fortius ardens
Ignibus externis hoc iubar incaluit.
Deposita face nox quaesiuit lumina Phoebes,
Vulnere si blandus hanc tenet Endymion.
Endymion tenet hanc blandus si uulnere, Phoebes
Lumina quaesiuit nox face deposita.
Armipotens deus hoc suspirat pondere, uulnus
Ferrea nec rabies, haut furor exsuperat.
Exsuperat furor haut rabies nec ferrea uulnus,
Pondere suspirat hoc deus armipotens.
Inpatiens Venus est, siluas dum lustrat Adonis,
Carpit si matrem, iam cui conueniat.
Conueniat cui iam, matrem si carpit Adonis,
Lustrat dum siluas, est Venus inpatiens.

EPIGRAMMATA.

XXIX.

nudus, egens, Veneris naufragus in pelago

Fulgentius mythol. pg. 72 Munck.: hanc etiam in mari natantem pingunt, quod omnis libido rerum patiatur naufragia; unde et Porphyrius in epigrammate ait 'nudus' e. q. s. Eundem uersum, ex F. petitum, affert Mythographus tertius Vaticanus pg. 229 Bod.

XXX.

auxilium, Fortuna, tuum, res perfida, Quinto
  extulit in frontem grande supercilium.
nam ne aliud credam, puteum puto te quoque, Quinte:
  quanto altus magis es tam mage despiceris.

Fulgentius de continentia Vergiliana pg. 158 exaltatus quis in superbiam duplum eliditur; unde et Porphyrius in epigrammate ait 'pauxillum' e. q. s.

INCERTORVM AVCTORVM VERSVS RECVRRENTES.

1 Nereides freta sic uerrentes caerula tranant,
  flamine considens ut Notus Icarium.
Icarium Notus ut considens flamine, tranant
  caerula uerrentes sic freta Nereides.

Diomedes pg. 515 reciprocum neoterici, si non fallor, nouum protulerunt, ut per duos uersus duo alii recurrant, ut in illis uersibus 'Nereides' e. q. s. Eosdem uersus adfert Victorinus pg. 2562, sed posteriore disticho prius locato, unde bis apud eundem scribitur illud 'tranat'. 'Considens' i. e. 'descendens' siue 'immorans' ego, 'confidens' u. Petronium huius carminis auctorem esse suspicatur Bergkius, teste Keilio, sed frustra.

2 astra tenet caelum, mare classes, area messem.
messem area, classes mare, caelum tenet astra.

Quint. VIIII, 4, 90 ut memini quendam non ignobilem poetam talem (uersum) exarasse 'astra — messem'. Hic retrorsum fit sotadeus.

3 ecce tumet uitis tua gemmis, optime Bacche.
Bacche optime, gemmis tua uitis tumet ecce.

M. V. l. m. 'V. t. g.' Camerarius, 'g. t. v.' cdd.

4 esse bonus siuis, cole diuos, optime Pansa.
Pansa optime, diuos cole, siuis bonus esse.

Diom. pg. 515 reciprocus alter huiusmodi est 'esse' e. q. s. Hic in procursu hexameter est, in recursu sotadicus. Eosdem uersus habet Marius Victorinus 2561. Cet. cf. c. 5.

5 omine felici Pansa precare deos.
deos precare Pansa felici omine.

Mar. Vict. l. m. alter qui est pentametrus in iambicum trimetrum redit sic.

6 pio precare ture caelestum omina.
omina caelestum ture precare pio.

Diomedes pg. 516 'pio' e. q. s. hic decurrit iambicus, recurrit elegiacus. 'Omina' scripsi d. r. m. 463; 'nomina' uel 'numina' cdd.

7 uersu uolo, Liber, tua praedicentur acta.
acta praedicentur tua, Liber, uolo uersu.

Diomedes pg. 515 'uersu' e. q. s. sotadicus est ex utraque, sed durus, ut possit ad recursum conuenire. Cf. d. r. m. 161.

8 caput exeruit mobile pinus repetita.
repetita pinus mobile exeruit caput.

Quint. l. m. itemque e sotadeo retro trimetros 'caput — repetita'. 'Repetita', puto 'replicata'; ceterum de Sini uidetur agi.

9 Sidonius VIIII, 14 ei nimirum uersus sunt recurrentes, qui metro stante neque litteris loco motis ut ab exordio ad terminum sic a fine releguntur ad summum. Sic est illud antiquum:

Roma, tibi subito motibus ibit amor.

nec non habentur pro recurrentibus, qui pedum lege seruata per singula uerba replicantur, qualia reor equidem legi multa multorum.

PORFYRII CARMINA
QVAEDAM
LITTERIS CAPITALIBVS EXPRESSA.

In hac pagina omnes uersus tricenarum quinarum litterarum sunt, set primi uersus prima littera S communis est cum acrostichidis [acrostichid$\overset{is}{e}$]; *ultima* [prima] littera S communis est cum telestichidis: ultima littera *acrostichidis et telestichidis*, id est S communis est cum ultimo uersu: primi uersus media littera, id est octaua decima, S, caput est medii uersus: acrostichidis media littera, quae est octaua decima, *S*, incipit alium medium uersum: qui medii uersus uel ad directum ire possunt, uel a medio flecti, idem sonantes. Est autem uersus qui per omnes has partes sonat

Sancte tui uatis Caesar miserere serenus.

Quadrae quattuor, eodem uersu clusae, habent per omnes partes senas denas litteras, in quibus quadris mediis octonae litterae ad directum minio scriptae faciunt uersum

Aurea sic mundo disponas saecula toto.

II. [VI.]

SANCTETVIVATISCAESARMISERERESERENVS
AVGVSTEOMNIPOTENSALMOMORTALIACVNCTA
NVMINELAETIFICANSNOBISADGAVDIANOMEN
CONSTANTINETVVMFECVNDICARMINISEXHOC
TEDVCEDETMVSASNAMTRISTISCVRARECVSAT
EGREGIOSACTVSIAMSEDENTCRIMINAPARCAE
TVNCMELIVSDOMINVMTEVOXSECVRASONABIT
VIRTVTVMRECTORPOTVITVIXPANGEREVERSV
ISTAMODOETMAESTOSICSALTIMDICEREVATI
VIXMIHICALLIOPEPAVITANTICONSCIANVTV
ADNVITAVSAPRECEMVATISQVEEDICEREFATA
TRISTIASIGNATOPARTESVTLIMITECLAVDAT
IVREPARICARMENMEDIISVTCONSONAINOMNI
SITNOTAPRIMASVIETSITPARSEXTIMATALIS
CEVMEDIAEPRIMISOCCVRRENSAPTIVSI·STIC
ACLATERVMFINESETPARSQVAEDIVIDITORSA
EMEDIOCAPVTESSEQVEATVERSVQVEREFERRE
SANCTETVIVATISCAESARMISERERESERENVS
ALMESALVSORBISROMAEDECVSINCLYTEFAMA
REMELIORPIETATEPARENSADMARTIAVICTOR
MITIORADVENIAMPERMVLCENSASPERALEGVM
IVSTITIAAETERNAEVIRESETGLORIASAECLI
SPESDATAPLENABONISETFELIXCOPIAREBVS
EXIMIVMCOLVMENVETERVMVIRTVTEFIDEQVE
ROMAEMAGNEPARENSARMISCIVILIBVSVLTOR
ETSVMMILAVSGRATADEIMENSCLARASVPERNE
REBVSMISSASALVS·PERTEPAXOPTIMEDVCTOR
ETBELLISSECVRAQVIESSANCTAOMNIAPERTE
SOLISIVRASVISFIDISSIMADEXTRAMARITIS
ETSOCIALEIVGVMPRAEBETCONSORTIAVITAE
RESPICEMEFALSODECRIMINEMAXIMERECTOR
EXVLISAFFLICTVMPOENANAMCETERACAVSAE
NVNCOBIECTAMIHIVENIAVENERABILENVMEN
VINCEPIAETSOLITOSVPERANSFATALIANVTV
SANCTETVIVATISCAESARMISERERESERENVS

Et haec pagina tricenas quinas litteras per omnes uersus habet. Et est primus uersus minio *scriptus* per amfractum a prima littera usque ad ultimam litteram primi uersus

Fingere Musa queat tali si carmine uultus.

Simili amfractu per acrostichidem in deorsum uersum a secunda littera usque ad paene ultimam

Augusti, et metri et uersus lege manente.

Item simili amfractu ultimus uersus a prima littera usque ad ultimam sui

Picta elementorum uario per musica textu.

Adaeque iterum pari amfractu in telestichide a secunda littera ac deorsum uersum usque ad paene ultimam

Vincere Apelleas ardebit pagina ceras.

Item ab octaua decima primi uersus littera ad directum per medium deorsum uersum descendens

Grandia quaerentur, si uatis laeta Camena.

Item ab octaua decima acrostichidis per medium ad directum uersus

Orsa iuuet, uersu consignans aurea saecla.

In hac pagina quattuor hexagona sunt pari numero litterarum, et octo orthogona adaeque pari numero litterarum per singulas litteras crescentia uel decrescentia.

III. [V.]

FINGEREMVSARVMFLAGRAREMNVMINEVVLTVS
ALMEPASENSORBISPERFECTAINMVNIAVERSV
VOTAQVESIRATIONONABNVATORDINEPHOEBI
GESTACANVNTQVOSAONIVMPLACABILENVMEN
VATISSORTEFRVIDATDONISCARMINISEXHOC
SVSTOLLENSETVERSVINSTIGANSORASONARE
TVMENTEMINSPIRASVATISTVGAVDIASEMPER
INTESANCTEVOCASTVQVIVISDOCTACAMENAE
EDEREDICTAFAVENSTVLAETVSVOTASECVNDA
VTRATASINTAVDISTVAMITISRECTOROLYMPI
TEMPORAPRAECIPVASERVATPIETATESERENA
AVREAIAMTOTOVICTORTVASAECVLAPOLLENT
CONSTANTINEPOLOHAECNEXVSLEGESOLVTIS
DICTVRVSMETRISMAGNOMOVETAGMINEMVSAS
ATMEAVIXPICTISDVMTEXITCARMINAPHOEBI
CALLIOPEMODVLISGAVDETSIVOTASECVNDET
DELIVSINTEXTAVTPARILISVBTRAMITEMVSA
ORSAIVVETVERSVCONSIGNANSAVREASAECLA
SEDTIBIDEVOTAMRAPIVNTADGAVDIAMENTEM
AVDENTERQVELOQVISVADENTPERDEVIAVOTO
AONIDESFRETAEETQVANTISSVAVERBATVERI
LEGIBVSADSTRICTAETETOTAMENTEFIDEQVE
VATISVOCETVITVAPRINCEPSINCLYTETANTA
BELLACANVNTETPEGASEONOVACARMINAPOTV
EXERCENTNEXVQVEVOLVNTNVNCRITESONARE
EGREGIVMIMPERIVMTANTOCORMVNEREFVNGI
ETPRAECELSAIVVATVERSVPERSCRVPEAFARI
MENTISOPVSMIRVMMETRISINTEXERECARMEN
ADVARIOSCVRSVSVIXARTOINLIMITECLAVSA
NODOSOSVISVSARTISCATAPRAEFERATEXHOC
ETTAMENAVSALOQVITANTOMENSAESTVATORE
NECDIGNVMVOTISCARMENSICREDDERERETVR
TALILEGECANENSQVAENOSTRVMPAGINASOLA
EXHELICONELICETCONPLEBITMVNVSAMORIS
PICTAELEMENTORVMVARIOPERMVSICATEXTV

Et in hac pagina tricenae quinae litterae per omnes uersus sunt, et de minio scriptum est in medio corpore paginae AVG XX CAES X. Set in lineis litterarum trium AVG percurrit versus

Cum sic scripta placent, audent sibi deuia Musae.

In duarum sequentium quae sunt XX

Per uarios signare modos deuotaque mentis.

Item trium tertiarum quae sunt CAE

Gaudia. quae pingens loquitur mea, Phoebe, Camena.

In duarum quae sunt quarto loco SX

Summe parens, da uoce pia tricennia fari.

V. [XV.]

VICTORSIDEREISPOLLENSVIRTVTIBVSIBIS
PERSICACVMNATISLATIOCONFINIAREDDENS
IAMNILIPRINCEPSLAETISORIENTERECEPTO
QVOSTIBIFIDADICATCONCORDIADIVESEOIS
IAMPOPVLISPARTHISMEDISVNIQVEDICATIS
AVGVSTOETNATISTVMAGNAADGAVDIASANCTE
CONSTANTINEFAVETETORTOENCARMINEMVSA
ETTVADISCRIPTISPINGITVICENNIAMETRIS
ATTVSVPPLICIBVSOLIMDVXCLARVSINARMIS
DAPIETATEFIDEMMAIORMOXGLORIAHONORVM
SITVTOSSERVAREQVEASPOSTVOTATROPAEIS
PARCEREIAMVERSISVIRTVSDENVNTIATALMA
INDVSARAPSIAMVOTAFERVNTETMEDIADIVES
AETHIOPESGNARIRAPIDOCVMLVMINESVRGIT
TETHYOSEXGREMIOTITANSEDETOMNIALAETA
CONSTANTINEBONONVNCLVDENTOTIASAECLO
FELIXMVSATVISPOSSITQVAEDIGNAREFERRE
PRAEMIAVIRTVTVMMERITISVELVOCESONARE
QVIDVAGAPIERIOSVERSVSSVBVALLISOPACA
ILICECONPONISLAVROQVIDCARMINACARPIS
CASTALIOSTOTARESPONDETVOCETRIVMPHOS
QVAMDATFONTESVOCLARIOTVCARMINAPROME
VATEDEODIGNAAVTSIQVODPERFERETAVDENS
MAIVSOPVSNECTENSMENSTOTAMOLESVBIBIT
SPEPINGETCARMENPANGATSICOEPTACAMENA
COMPLEATETVERSVVARIATADECENNIAPICTO
ORESECVNDAVOVENSSVBCERTOLIMITEMETRI
OTIACAESARIBVSPACISDEDITAVREASAECLA
INDVLGENSNATISPATRIAEPIETATISHONORE
MITISIVREDEVSSEDCRISPIINFORTIAVIRES
NONDVBIAERIPARHENVMRHODANVMQVETVERI
VLTERIOREPARANTETFRANCISTRISTIAIVRA
IAMTVSANCTEPVERSPESTANTAERITEQVIETI
MISSAPOLOSAECLISDACONSTANTINESERENA
TEMPORASVMMEPIOTRICENNIASVSCIPEVOTO

In hac adaeque pagina per omnes uersus tricenae quinae litterae sunt: per quam paginam discurrunt duo uersus de minio scripti, uterque quinarum partium orationis, quae singulae septenas litteras habent, quarum ultima manente quattuor inter se uices mutant ita, ut prima si uelis sit quarta, et quarta rursum prima, secunda cum uelis sit tertia, et tertia cum uelis sit secunda, et manente ultima fiat reciprocus multifariam uersus, non solum ipse se mutans, sed et cum alio uersu eandem uarietatis optinens rationem, ordine seruato partium, quom [quae] mutari uelis, ut possis quamuis inde partem orationis per ordinem [pro ordine] suarum partium mutare. Sunt autem uersus duo hi

Dissona Musarum uinciri stamine gaudens
Grandia conabor Phoebeo carmina plectro.

Idem uersus et per amfractus uarios susum ac deorsum discurrunt. In hac eadem pagina quattuor quadrata [quadratae] in angulis sunt senarum litterarum, duo trigona et duo octogona maiora dimidiata et unum hexagonum in medio et scalena per angulos quattuor, omnia pari numero litterarum et pari ordine crescentia uel decrescentia, item [id est] omnia similia, trigona trigonis, octogona octogonis, quadrata quadratis, scalena scalenis.

VI. [XXII.]

MARTIAGESTAMODISAVDAXIMITATASONORIS
MVSAPEREFFIGIEMTVRMARVMCARMINATEXIT
ETNVNCAGMENAGITQVINOSVBLIMINERECTVM
MVSIGENOSPATIVMSEPTENOLIMITEDISTANS
NVNCEADEMVERSORELEGENSVTCVMQVEMEATV
MITTITINAMFRACTVSNONVNALEGECATERVAS
DISSONACOMPONIDIVERSOCARMINEGAVDENS
GRATANIMISFLEXVDOCILIDEPERPETEMETRO
ORSAITERVMFINISOCIANSCONFINIACONTRA
PRAEPONENSORSISNVLLODISCRIMINEMETRI
QVINETIAMPARTESMEDIAESVAMVNIADOCTAE
EXPEDIVNTVERSISVICIBVSNAMFINESEDVNO
QVAMVISAMBIGVOSCVRSVSETDEVIACLAVDIT
OSTENTANSARTEMVINCIRISCRVPEAPRAEBET
SARMATICASSVMMESTRAGESENTOTAPERACTA
VOTAPRECORFAVEASSVBCERTOCONDITAVISV
FACTORVMGNARVMTAMGRANDIADICEREVATEM
IAMTOTIENSAVGVSTELICETCAMPONACRVORE
HOSTILIPOSTBELLAMADENSARTISSIMATOTO
CORPORAFVSASOLOSVBMERSASAMNEREPLETO
VICTRIXMIRETVRTVRBASACIEMQVEFEROCEM
PLVRIMACONABORPHOEBEOCARMINEGAVDENS
MARGENSISMEMORAREBONICAELESTIAFACTA
INTROITVSETBELLALOQVIPERCVLSARVINIS
QVISDEVICTAIACETGENSDVROMARTECADVCA
TESTISMAGNORVMVICINABONONIAPRAESENS
SITVOTICOMPOSEXCISAQVEAGMINACERNENS
DETIVGACAPTIVISETDVCATCETERAPRAEDAS
GRANDIAVICTORIMOLIMVRPRAEMIAPLECTRO
DICERENECSATISESTVOTVMSICOMPLEATORE
MVSASVOQVAECVMQVEPARATSVBLEGESONARE
SCRVPOSISINNEXAMODISPERFECTACAMENIS
VVLTRESONAREMEISETTESTISNOTATROPAEA
DEPICTISSIGNAREMETRISCVMMVNERESACRO
MENTISDEVOTAEPLACARINTFATAPROCELLAS

Et in hac pagina tricenae quinae litterae per omnes partes sunt, in qua *a* prima littera primi uersus per oblicum rubrica descendens usque ad quadraturam mediam et de quadratura per oblicum ad ultimam primi uersus ascendens facit uersum

Ausonium columen, lux alma et gloria Romae.

Rursum ab acrostichidis tertia decima littera, quae est V, per oblicum ascendens usque ad primi uersus prope medietatem, et inde per oblicum descendens ad telestichidis tertiam decimam litteram, quae est I [·q·] facit uersum

Virtutum specimen, mitis clementia mundi.

Nouissimae autem partes orationum his duobus uersibus alternis utraeque utrique uersui seruiunt. Deinde per acrostichidem a quartadecima littera nouem litterae ad directum descendentes, et contra se pari ordine prope in media pagina aliae nouem et item ultra mediam paginam pari ordine aliae novem et item in telestichide aliae nouem faciunt uersum

Iustitiaeque parens, spes felix, otia rerum.

Rursum a uicesima tertia littera acrostichidis id est A per oblicum ad ultimum uersum descendens et inde paululum directa et ascendens per oblicum ad vicesimam tertiam telestichidis littera facit uersum

Aetherium munus nobis per saecula missum.

Item ab ultima littera acrostichidis id est a prima nouissimi uersus per oblicum ascendens ad mediam quadraturam et paululum directa et per oblicum descendens usque ad ultimam nouissimi uersus litteram facit uersum

Rectorisque dei per te praesentia pollet.

In hac pagina sunt hexagona pari numero litterarum quattuor, trigona isopleura pari numero litterarum octo, quadratum medium, omni parte pari numero litterarum unum.

VII. [XXIII.]

I. **A**VGVSTVMSPEC**IMENMITISCL**EMENTIAMAGN**E**

A**V**SONIDVMDV**C**TORTVAMAXIM**E**FORTIAMVS**A**E

CA**S**TALIAED**E**FONTECANVNTTV**M**VNERASV**M**MA

VOT**O**RVMDA**P**HOEBEMIHINVNCPL**E**NAFAV**O**RIS

DAME**N**TEM**S**ENSVSQVEPIOSINSIG**N**ESE**R**ENVS

IMPER**I**V**M**NATISQVEPOTENSADMAR**T**I**A**FELIX

PERPET**V**VMSAECLISPICTOSVBCARM**I**NEFARI

AVDEN**T**E**M**PRECORIPSEIVVAMEGLO**R**I**A**VATVM

DICT**V**RVM**C**ARMENQVAMVISNVNCC**O**PIA**M**VSAE

NON**T**ALISP**O**SSITQVEMINVSSVB**L**EGEIV**V**ARI

VE**R**SVALIVD**L**IMOALIVDQVOPA**G**INAINOM**N**IS

S**I**GNATVRMOD**V**LOSDISCERNA**T**SEMITAFAN**D**I

II. **V**ELLEIVBETNV**MENLVXALMAE**TGAVDIAMVND**I**

III. **I**NSTITVVNTSE**Q**VITVRCVRA**S**INMVSICACLI**O**

VIRTVTESQVET**V**ASETMORES**P**ANDEREGESTI**T**

SANCTETVOSCR**E**VITNOSTRA**E**FIDVCIAMENT**I**

TEDVCENAMQVE**P**IOGAVDENS**S**VBMVNERENOT**A**

INIVGAFESTIN**A**TMVSISVBI**F**RONDEASEMPE**R**

TECTACANVNTA**R**TESETNOTA**E**VATIBVSVNDA**E**

INDOMITOSREG**E**SSEVPACIS**L**VBRICAVICTO**R**

AVTBELLOSTER**N**ENSAVTMIT**I**SFOEDERENVT**V**

ESSETVOSFACI**S**AGROSQVEE**X**ERCERETVORV**M**

IIII. **A**VCTIORALMAD**EIPERTEPRAE**SENTIAMVNDV**M**

R**E**SPEXITRED**D**ENSMOXAVREA**S**AECVLAREB**V**S

OS**T**ENDITQV**E**DEVSRECTORIST**E**MPORAIV**S**TI

AET**H**ERION**V**TVPLACIDISCLEME**N**TIAIV**S**SIS

PERT**E**PER**Q**VETVOSSVNTOMNIAMI**T**IAV**I**CTOR

NATOS**R**E**S**POPVLIFLORENTADGAVD**I**A**M**ENTIS

CAESAR**I**BVSQVETVISTOTOVICTORI**A**INORBE

SEMPE**R**I**V**RECOMESFELIXINSAECV**L**A**P**OLLET

TANT**O**RVM**M**ERITASTATVESCAPTI**V**ATR**O**PAEA

VIC**T**ORSAR**M**ATIAETOTIENSENA**C**CIPEC**L**ARE

DV**C**TORVBIQ**V**ETVISVOTORVMR**E**DDITAFE**L**IX

D**E**BITAIAMCO**N**POSGAVDETTV**A**ROMVLAPVB**E**S

V. **R**ECTORRITESV**VSNOBISPERS**AECVLAFLORE**T**

Et in hac pagina omnium uersuum tricenae quinae litterae sunt, et per omnes partes laterum totidem. In qua a prima littera primi uersus ad nouissimam ultimi uersus per oblicum descendit uersus

Alme salutari nunc haec tibi pagina signo.

Et rursus a prima littera ultimi uersus *usque ad nouissimam primi uersus per oblicum ascendit hic uersus*

Scripta micat, resonans nominibus domini [abest hic v. a B].

Rursus a primo uersu prope medietatem *scriptae litterae* utrimque septenae ad directum minio *in* duabus litteris quae sunt I et E [ĩ et p̃], et in media acrostichide in S litteram linea deformata: exprimitur per has tres partes uersus heroicus

Nate deo solus saluator sancte bonorum.

Rursum in linea V litterae, quae est ad medietatem ultimi uersus et in linea litterae *S* quae est in telestichidis medietate pentameter uersus scriptus est hic

Tu deus es iusti, gratia tu fidei.

Rursum per mediam Graecam X litteram ad directum uirgula descendens, quae habet in flexura [inflexuram] quasi P litteram Graecam, habet scriptam prosam

Sit uictoria comes Aug. et natis eius.

Quae omnis pictura habet monogrammum Christi et minio litteras scriptas IESVS.

VIII. [XVII.]

ACCIPEPICTANOVISELEGISLVXAVREAMVNDI
CLEMENTISPIASIGNADEIVOTVMQVEPERENNE
SVMMEFAVETETOTAROGATPLEBSGAVDIARITE
ETMERITAMCREDITCVMSERVATIVSSATIMORE
AVGVSTOETFIDEICHRISTISVBLEGEPROBATA
GLORIAIAMSAECLOPROCESSITCANDIDAMITI
ADCVMVLANSCOETVSETTOTAORNATASERENIS
MVNERIBVSPRAESTANSNATISVTLAVREAVOTA
VIRTVTVMTITVLOSPRIMISIAMDEBEATANNIS
PROGENIETALIGENVITQVOSNOBILESAECLVM
HISDECVSAPROAVOETVERAECONSCIAPROLIS
ROMACLVITPRINCEPSINVICTIMILITISALMA
OTIAPACISAMANSHAECSVNTMITISSIMADONA
HOCATAVIMERITVMVOTISPOSTEDITVSORBIS
ERVMPENSDOCVITNENORINTFRANGEREFIDEI
OPTIMAIVRAPARESCVRISSVBMARTISINIQVI
NVLLISLAESAFIDESHINCIVGISTAMINEFATA
VOBISFILALEGVNTPLACIDAPIETATESECVTA
ETRESCONSTANTINVNCEXERITINCLITAFAMA
AVCTASTIRPEPIAVOTOACCVMVLATAPERENNI
SANCTETVASSEDESADMENTISGAVDIAMIGRAT
AETHERIORESIDENSFELIXINCARDINEMVNDI
IAMPATRIAEVIRTVTISOPVSBELLINELABORE
ANIVSTIMERITISDICAMMENTISQVESERENAE
ETPIADONACANAMFECVNDAQVEPECTORANOTO
RITEDEOSICMENTEVIGENTCVIGAVDIACASTA
CLAVDIVSINVICTVSBELLISINSIGNIAMAGNA
VIRTVTVMTVLERITGOTHICODEMILITEPARTA
ETPIETATEPOTENSCONSTANTIVSOMNIAPACE
ACIVSTISAVCTVSCOMPLERITSAECVLADONIS
HAECPOTIOREFIDEMERITISMAIORIBVSORTA
ORBIDONATVOPRAESTASSVPERASQVEPRIORA
PERQVETVOSNATOSVINCISPRAECONIAMAGNA
ACTIBILEGEDEIIVSSISQVEPERENNIAFIENT
SAECLAPIISCEPTRITECONSTANTINESERENO

In hac pagina per omnes partes tricenae septenae litterae sunt, et de minio scripta est species palmae. in qua palma primi duo rami quia breues uidebantur nec uersum poterant implere, adiuncta est linea per directum et per oblicum

Castalides, uersu docili concludite palmam.

Eadem C littera prima communi manente, et M littera ultima primi uersus communi manente, secundus ramus per oblicum descendens et ascendens facit uersum hunc

Constantine faue, te nunc in carmina Phoebum.

Per tertium ramum adaeque *per oblicum* descendit et ascendit hic uersus

Mens uocat, ausa nouas metris indicere leges.

Per quartum ramum adaeque per oblicum descendit et ascendit hic uersus

Limite sub parili crescentis undique ramos.

Per medium truncum descendit a media littera primi uersus usque ad mediam ultimi hic uersus

Reddat ut intextus Musarum carmine uersus.

IX. [XX.]

CASTALIDESDOMINOVIRTVTVMTRADITEPALMAM
CONSTANTINVSHABETBELLORVMIVRETROPAEVM
VINDICESVBDEXTRAREDDENSFELICITERORBEM
CONSILIISITERVMSVADENSETCVNCTAREFERRE
ROMATIBIBELLISCVMSAEVAINNECTEREPOSSIT
VINCLAIVGIVIRTVSMITISNONARMATINHOSTEM
SETMAGNOPATIENSDOCVITCERTAMINEPARCENS
QVIDPIETASDONETPOSTPILAMINACIACLEMENS
NVNCMIHIIAMTOTODOCILESHELICONOCAMENAE
MITTITECONPOSITASINTEMPORAMITIAPALMAS
NECTITEDEMETRISVIRTVTVMCARMINAETOMNES
CONCINITEVTFRVCTVFELIXETPRINCIPEDIGNA
DETSTIRPESGRATASTEXENSQVASPAGINAVERSV
HVICVOVEATTITVLOVOTORVMCARMINEPOLLENS
PIERIOSMIHIPHOEBETVODENVMINEPRAESTENT
FONTESCASTALIAETVASILICETIREPERAGRANS
MENSIVGACELSAPETETMECVMSIPANGEREVERSV
MVSAVELITTANTOIAMNVNCSVBPRINCIPELAETA
LAVDISDONAFERENSRESONANSINSIGNIARAMIS
VINCENTVMIVSTOSAVDAXMIHIFIDATRIVMPHOS
ETMERITVMIVSTISTOTREDDERENOBILEPALMAS
AONIDVMQVASVALLEFLVENSALITVNDARIGATAS
SANCTESALVSMVNDIARMISINSIGNIBVSARDENS
CRISPEAVISMELIORTECARMINELAETASECVNDO
CLIOMVSASONANSTVAFATVRPVLCHRAIVVENTAE
NOBILETVDECVSESPATRITVQVEALMEQVIRITVM
ETSPESORBISERISNOSMENTISCVLMINECAESAR
TVVINCENSPACISGRATISSIMAFOEDERASEMPER
INDVLGEETFACILISGENTESADIVNGEROGANTES
FACQVETVIIVRISGAVDENSVIRTVTIBVSAVCTIS
CONSTANTINVSITEMLAVSORBISGLORIASAECLI
ROMVLEVMSIDVSLVXCLEMENSINCLITAFRATRIS
NOBILITASPROAVISVERVMETMEMORABILEFAMA
RESTITVITVICTORCAESARNOMENQVEDECVSQVE
SANCTEPATERRECTORSVPERVMVICENNIALAETA
AVGVSTOETDECIESCRESCANTSOLLEMNIANATIS

In hac pagina triginta quinque litterae per omnes partes sunt. In qua *a* prima littera primi uersus ad ultimam nouissimi rubrica per oblicum descendens habet scriptum

Constantine maxime imperator et [om.] *invicte.*

Item a prima ultimi uersus per oblicum rubrica ascendens usque ad ultimam primi uersus adaeque habet scriptum

Aeternae pacis prouidentissimus custos.

A septima primi uersus ad septimam *a* fine eiusdem uersus per amfractum descendens et ascendens [a. et d.] habet scriptum

Pater imperas, auus imperes.

Item a septima ultimi uersus ad septimam a fine eiusdem uersus hoc idem habet. A tertia decima primi uersus ad, [in] tertiam decimam a fine eiusdem uersus, habet scriptum

Pius et felix.

Eadem ratione et in ultimo uersu hoc idem scriptum est. A septima acrostichidis ad [in] septimam [septima] a fine acrostichidis habet scriptum

Aurei saeculi restaurator.

Item [identidem] a septima telestichidis ad septimam a fine eiusdem telestichidis hoc idem habet scriptum. A XIII acrostichidis ad [in] XIII a fine eiusdem acrostichidis *habet scriptum*

Omnia magnus.

Item [identidem] a tertiadecima telestichidis ad [in] tertiam decimam *a fine* eiusdem telestichidis hoc habet scriptum.

X. [XXI.]

CALLIO**P**ECANE**P**LVRAPROCA**X**ENORE**S**ERENV**S**
F**O**NTISC**A**STALI**I**DEVSAVD**I**ETIND**E**CANOR**O**S
ME**N**SFVRI**T**INNEX**V**SETFE**L**IXCVR**R**EREVO**T**IS
IAM**S**ECRED**E**TOVAN**S**LIB**E**TIREP**E**RAVIA**S**OLA
IMPE**T**EQVOG**R**ESSVS**E**F**F**ANDIO**P**TATAC**V**PIDO
INVIT**A**TATVL**I**TMENS**T**ANTVM**M**AXIME**C**AESAR
AONIAE**N**ODOSA**M**PLECTITVR**I**NCITV**S**AETHR**A**
F**V**NDEPA**T**ERCOE**P**TISMVSA**S**ADMVT**V**AVERS**V**S
SC**R**VPEAF**I**NGENT**E**MTAMD**V**ROCAR**M**INAVE**R**SV
LVD**E**REFAS**N**OBISP**R**AES**V**MERED**I**CEREM**E**TRA
GAVD**I**AVELT**E**NVIME**A**P**A**NDERE**S**ITMIH**I**MVSA
TANTV**S**HONOR**M**EIVRE**S**VOPER**S**IDERA**S**AECLO
ODECVS**A**VSONI**A**ETVLERITS**I**CPARV**A**LOCVT**O**
A**M**PLIVS**E**NIVDE**X**DOMINVS**T**OTMVN**E**RASVM**M**A
TA**N**TAQVE**C**ONCED**I**STVME**N**TEMDI**C**EREDO**N**IS
INV**I**TASLA**V**DISCV**M**MVN**E**RESIC**V**AGAPR**I**MVS
HAVT**A**VDITA**L**IGASN**E**C**D**ICTIS**L**AESAC**A**MENA
AVDET**M**AGNAN**I**MOVAT**I**NOVAV**I**NCVLA**M**ENTIS
IVSS**A**DAREC**R**EVITQ**V**E**M**EOCOR**R**EPTAF**A**VORE
ENA**G**EIAMR**E**DDITV**O**TIS**P**IAPRA**E**MIAMA**G**NVS
CO**N**CORDI**S**AECLO**R**OMAED**E**CVSET**S**IBIMV**N**DI
I**V**RASVI**T**OTLVX**P**OPVLISO**R**BIQVE**T**ROPAE**V**M
SICDAT**A**SVNTI**S**TOMAIORTV**A**GLORI**A**TERRI**S**
ENAVG**V**STETV**I**SPRAE**S**ENSET**T**ANTVS**V**BIQVE
IMPE**R**IISFE**C**VNDEP**A**R**A**SNVNC**O**MINEC**R**ISPI
OCE**A**NIINT**A**CTASO**R**ASQ**V**IBVSE**R**VTAFR**A**NCI
DA**T**REGIO**P**ROCVL**E**CCEDE**V**MCVID**E**VIALA**T**IS
T**O**TAPAT**E**NTCAM**P**ISVTCAE**S**OLIMI**T**EVICT**O**R
RITEAT**A**VOSVM**M**OMELIORCV**I**CLAVD**I**VSACE**R**
MAGNA**N**IMVMS**I**DVSDA**T**CLARV**M**ENVMI**N**EDIVO
IMPE**R**IVMVI**R**TVSQV**E**M**F**ELIXO**P**TATAL**V**MNVM
AVG**E**SFLOR**E**TVONO**S**TRA**E**TIBID**E**BITAV**I**TAE
OR**T**AMICA**T**FRATR**V**MFATA**L**ISGLO**R**IASAE**C**LO
R**E**SLATI**A**VTVOT**I**COMPOSS**I**CGAVD**E**ATAVC**T**A
ASPICE**P**ACATO**P**ARTAESTLV**X**LAETA**S**VBORB**E**

XI. [VIII.]

FORTIAFACTADV**C**ISTOTODOMINANTIAIAMNVN**C**
ORBECANAMQVIS**L**AETASVOSVBPRINCIPETANT**O**
RVRSVMROMATEN**E**TMVNDICAPVTINCLITACVLME**N**
TVVATEMTVDIVA**M**ONELACERATACRVENTI**S**
IMPERIISPARSF**E**SSAPOLIDIVISAGEMEBA**T**
SCEPTRAETAVSO**N**IAEMAEREBATPERDITAIVR**A**
SIQVAFIDESTAN**T**ISROMANVMGLORIANOME**N**
INSIGNITTITVL**I**SDOMINOSVTLIBERAQVAERAN**T**
MAESTAQVEIVRE**S**VOTREPIDATPLAGAMAXIMAMVND**I**
VNDEIVBARLVCI**S**PRIMVMRADIANSHYPERIO**N**
SIDERIBVSPVLS**I**SRVTILODIFFVNDITABORT**V**
INDETVVMNOMEN**M**VLTVMMEMORABILECVNCTI**S**
MAXIMEBELLANT**V**MDOMITORLVXVNICAMVND**I**
PERPETVISVOTI**S**CVPIVNTVENERABILENVME**N**
EXOPTANTSERVI**R**EVOLVNTMIRABILEDICT**V**
REMQVELAREMQV**E**SVVMTANTAESTTIBIGLORIAIVST**I**
AVGVSTOIVVATE**C**CETVOSVBFOEDEREIAMNVN**C**
TOTVMORBEMPOS**T**TOTCAEDESQVASFESSAGEMEBAN**T**
OMNIANVNCNVLL**O**TANDEMTREPIDANTIAMOT**V**
ROMVLEISSERVI**R**EPIISPATERINCLYTEIVSSI**S**

In hac pagina acrostichis [acrostichidis] habet scriptum

Fortissimus Imperator.

Quartae decimae litterae

Clementissimus Rector.

Vltimae

Constantinus inuictus.

XII. [VII.]

CONSTANTI**N**EPATERTVMVNDIGL**O**RIACONSV**L**
ECCETVOR**E**N**O**VATADABISTOTA**P**E**R**TALABOR**E**
REGNAPE**R**INN**V**MERASGENTES**M**OXC**A**RVSEOI**S**
TOTPOP**V**LISPI**A**IVRAFERES**E**TSOLV**S**INOMN**I**
AVGVS**T**VSMVNDO**S**PARGESE**T**INVLTIM**A**NOME**N**
SOLT**I**BIFELICES**F**ACIET**S**PESPERPET**E**NVT**V**
ARS**B**ONAIVSTITIA**E**ETD**I**VVMVICINADE**C**OR**I**
LA**R**GIDONABONICAE**L**O**C**APITINFLVITIL**L**V**C**
VOTAQVODOPTARINTP**I**ETATISCANASVBIV**IT**
SANCTACERESTELLVS**R**EDDITBACHEIALAP**SA**
RI**V**ISDONASVISNON**E**V**R**IEFLAMINETVRB**A**N**T**
ENO**R**MESPELAGVSS**T**ATM**I**TISPRINCIPE**N**OT**O**
RESP**E**RIVSTAVIG**E**NSORI**S**QVASIGNAB**O**OTE**N**
VLTIM**A**CONSOCI**A**TOLLVNT**I**NSIDERA**D**EXTR**A**
MAXIME**I**VSTITI**A**ELVMENCO**N**CORDI**A**ADOME**N**
PACIFIC**V**MTE**T**OTACVPITIAM**S**AVC**I**AETORA**T**
RESFESSA**S**C**I**TOPACELEVESTV**I**V**N**GESEREN**I**
ORBISVOTA**T**VIGENTESTIBIIVN**G**EVOLENTE**S**

In hac pagina superiore tricenae quinae litterae omnes sunt. Set acrostichis cum telestichide iuncta facit uersum

Certa salus rerum, proles inuicta Tonantis.

In qua secunda littera noni versus per oblicum bis ascendens et bis descendens rubrica ad paene ultimam eiusdem uersus designat

Orbi tu renouas felicis tempora saecli.

Item a secunda decimi uersus littera ad paene ultimam eiusdem bis descendens et bis ascendens [a. et b. d.] rubrica continet uersum hunc

Aurea iustitiae terris insignia donas.

In hac pagina tricenae quinae litterae sunt. In qua Christi monogrammum rubrica depictum est, per quam a primi uersus *littera prima* ad ultimam nouissimi linea decurrens continet

Summi dei auxilio nutuque perpetuo tutus.

Et a prima ultimi uersus ad nouissimam primi per oblicum ascendit scriptura haec

Orbem totum pacauit trucidatis tyrannis.

A media littera primi uersus usque [quae] ad mediam ultimi per directum descendit rubrica continens

Constantinus pius et aeternus imperator.

Inflexio quae Graecam litteram facit habet scriptum per rubricam

Reparator orbis.

XIV. [XVI.]

SANCTEDECVSMVNDIACRERVMSVMMASALVTIS
LVXPIATERRARVMTESOLOPRINCIPESAECLIS
INMENSVMGAVDEREBONISDATVRAVREAVENIT
SVMMOMISSADEOFVSISPATERALMETYRANNIS
IVSTITIAINTERRASETGLORIACANDIDAVERI
TEQVEDVCEMAGEGRATAFIDESETIVRARENATA
TOTAQVEPERCVLSISINGENTIMOLETYRANNIS
ASPERAVISPOSITAESTBELLIRESITALAIVRE
SCEPTRADABITPOPVLISVOTOPIVSORBISEOI
AVGVSTEINVICTASMVNDITRANSIBISINORAS
TEQVESVPLEXTOTISDVCIBVSSTIPATASYENE
ORATIVRACVPITLVCISSIBIGAVDIANOSTRAE
OPTATAMATFALLAXENPERFIDATELAFVGARVM
PARTHVSDEPOSVITRVITORISVNDIQVERVBRI
LITORISAETHERIOENVTVCERTAMINEAMORIS
MEDVSARAPSMOXOMNISOVATLAVDARESERENI
ORISLVSTRATVIDATVERISSANCTETROPAEIS
HAECMAGEFELICESTITVLOSVINCASVTAMORE
AVREAPERPETVORESTAVRANSSAECVLAMVNDO
INDVSETAVRORAEMILESQVOSFLVMINENILVS
TANGITFECVNDISVENTVRVSFRVGIFERVNDIS
ORANTESPIAIVRAPETENTGENSNOBILISORTV
AETHIOPESCVNCTIPARENTOPTATAQVEMVNDI
TEMPORALAETADEDITNOBISFELICIVSAEVVM
ENSVPLICESPERSAEIVRASIBIREGIANOLVNT
TEDOMINVMMALVNTFVSITVASEMPERADORANT
ORASVISCVPIVNTTOTISTIBICEDEREREGNIS
TVPIVSETIVSTIVEREMEMORINCLYTELAETIS
DARESPONSABONOSEMPERMITISSIMVSORBIS
INPERTIRETVVMCLEMENTERETADDITONVMEN
SVNTMAGEFELICESPARITERQVOSALMETVERE
ENREPARATAIVGANSMAESTIDIVORTIAMVNDI
ORBESIVNGEPARESDETLEGESROMAVOLENTIS
PRINCIPETEINPOPVLOSMITIFELICIVSAEVO
OMNIALAETENTVRFLORENTIBVSAVREAREBVS

In hac pagina acrostichis [acrostichidis] habet scriptum

Domino Nostro Constantino Perpetuo Augusto.

Decimae omnium uersuum litterae, tum [cum] nonae decimae et uicesimae octauae [septimae], per diuersum descendentes ordinem [per ordinem] directum, litteris Graecis tres uersus habent. Et est in decimis omnium uersuum litteris uersus hic Graecus

Νεῖμέν σοι βασιλεῦ Χριστὸς καὶ σοῖς τεκέεσσι.

In nonis decimis uersus est hic

Τίμιον εὐσεβίης κρατέειν ἀρετῆς τε βραβεῖον.

In uicesimis octauis [septimis] autem uersus hic

Εὐνομίης ἄρχειν τε καὶ Αὐσονίοισιν ἀνάσσειν.

Set cum hoc ordine deorsum uersum Graece legantur, eaedem litterae, per diuersum ordinem legentibus rectum dum in eadem pagina locantur, uersibus Latinis obsequium suum Latinarum litterarum officio praebent, ut sit diuersitas, cum hac Graece significatus suos exprimant [exprimunt], hac Latine.

XVI. [X.]

DISSONACO**N**EXISAVDE**T**COMPONER**E**VERBIS
OMINEMENS**E**LATABONO**I**VVATINCL**Y**TALINGVAE
MVNERAGRA**I**ORVMMVSA**M**ODVLANTE**N**OVARE
INQVEVICE**M**VERSVCEC**I**NITQVAEF**O**RTELATINO
NVNCALIOT**E**XTVGRAEC**O**RVMINCAR**M**INADVCI
ORDINEVTI**N**DVPLICEM**N**ECTATVRL**I**TTERAVOCEM
NVNCAGEFA**C**VNDAEREF**E**RANTPVLC**H**ERRIMAMVSAE
ORESONETD**O**CILICHEL**Y**SINCLYTA**C**ARMINAPHOEBI
SPEMRERVM**I**VSTVMQVE**C**ANAMSVMM**A**MQVESALVTIS
TEDOMINVM**B**ONADONAD**E**ITEMAGNE**P**ARENTEM
ROMANVMGR**A**TVMQVEOR**B**EMTIBIMA**X**IMESEMPER
OMNIAQVOD**C**ERTARESP**I**RANTMENT**E**QVIETEM
CVMPLACID**I**SPECTENT**H**OSTILESM**I**LLETRIVMPHOS
OMNIAPLEN**A**BONISTVA**C**ONSTANTI**N**EQVIRITES
NILSIBICR**E**DIDERINT**K**ARVMMAGE**T**EDECVSORBIS
SERVATOST**Y**RIISESEM**P**ERVINDIC**E**DEXTRA
TEDOMINOE**X**VLTANTTR**A**NQVILLIS**K**ARIORVRBI
AFRICATEM**P**ORIBVSPO**T**ITVRSERV**A**TAQVIETE
NVNCSEFEL**I**CEMNVNCS**E**SVBNVMIN**I**SARCE
TVTAMQVOD**C**ARTHAGOD**E**CVSVENER**A**BILEGESTAT
IVREPVTAT**T**ANTVMFAT**I**SLVXINCL**Y**TAPRAESTAT
NOBILETED**O**MINONOME**N**SPESETDE**C**VSALMVMEST
OMNISABAR**C**TOISPLAG**A**FINIBVSH**O**RRIDACAVRO
PACISAMAT**K**ANAETCON**P**ERTAPERE**N**NIAIVRA
ETTIBIFID**A**TVISSEMP**E**RBENEMIL**I**TATARMIS
RESQVEGER**I**TVIRTVTE**T**VASPOPVL**O**SQVEFEROCES
PROPELLIT**C**AEDITQVE**H**ABENSTIB**I**DEBITARATA
ETTVAVICT**O**RESSORSA**C**CIPITHIN**C**TIBIFORTES
TEQVEDVCE**I**NVICTAEA**T**TOLLVNTS**I**GNACOHORTES
VNDIQVETE**C**OMITATAD**E**IPIANVMI**N**ASVMMI
OMNIBVSVL**T**OREMPRAE**B**ENTETIVR**A**FIDEMQVE
ALMETVISP**E**CTANTRES**P**ONDENTOM**N**IAVOTIS
VNDIQVEPA**K**ATISSALV**A**TORMAXIM**A**REBVS
GAVDIAPRA**E**STABISDA**B**ISOTIAVI**C**TORINORBE
VIRTVTVMM**E**RITISVIC**E**NNIAPRAE**C**IPEVOTA
SAECLORVM**C**REVITGEM**I**NOSPESCA**E**SARECERTA
TVQVEOSAN**C**TEPARENS**O**LIMPOSTM**I**LLETROPHAEA
OLVXAVSON**I**DVMDISPO**N**ESCEPTRA**N**EPOTVM

I. II. III. IIII. *Alme tuas laurus aetas sustollet in astra.*
V. *Aurea lux uatum, siluae mihi praemia serua.*
VI. *Aucta deo uirtus Musas magis ornat aperta.*
VII. *Aurea uictorem pietas sonat ubere lingua.*
VIII. *Aonios latices pietas iuuat armaque diua.*
VIIII. *Augusti florem pietas iuuat, arma, tropaea.*
X. *Aonii frutices, pietas iuuat ubere glaeba.*

XVIII. [XIX.]

ALMETVASLAVRVSAETASSVSTOLLETINASTRA
LVCETVASIGNESFASTVSSINELIMITECONSVL
MARTESREENVSHABESREIECTOMVNIAGRAIVM
ETMEDIPRAESTASINCENSVMSCEPTRAREDIRE
TORVAGETASCAMPOCLARYSVTLVMINAPERDIT
VVLTCVRVOTVRMAEFELIXSVACOMMINVSICTV
ARMENIIDVXFERRELEVISSOLTEQVOQVEPILA
SICETVICTAREFERTEXORTOSDACIAFRANCOS
LEGETVVSTONSORHENVSTIBIGERMINATEXVL
AGMINATELORVMSVBEANTQVIMVRMVREBELLA
VINCEREFLORENTILATIALESSARMATADVCTV
REXTIBIPOSSEGETASVISODATLIMITEVLTOR
VIDITTESVMMVMCOLVMENQVAVELIFERAESTV
SERVSINOCEANOPRESSITIVGANYSIAPONTVS
ATQVERVDISRADIISCITLVXEXORTATROPAEA
ENGAVDENTPIETATEALTISPARSPERPETEAGE
TVVATEMFIRMESDICTVSTENVNCLYRACANTET
AVCTADEOVIRTVSMVSASMAGISORNATAPERTA
SOLVMVOTANOTISLATESVAROMVLADATPLEBS
SANCTETVISCLIOPERMISCETVOTATROPAEIS
VISITVRETCRESCITVICTORVMGLORIACANTV
SITVISVICINISPERTHYLENGRATIAPOLLENS
TALISFIXASVISSIGNISLYRAMVNERAGESTAT
ORSAPARIVATESQVAEPERFERTDELIERYTHMO
LVMINEMVRICEOVENERANDVSDVXERITVTSOL
LEGIBVSVTIANITENEASAVVSORBETRIBVNAL
EGREGIOSTITVLOSPIETATISHABEBISAMORE
TOTFRETAPACISAPEXMVTARIMVNEREGAVDET
INDIACLAVIGERILATIVMVVLTIVNGEREIANI
NILEVSMESSORSVATRADITCASTRAVELAGMEN
ARCTOSQVAMCARPINOSCETVIXHAEMVSINORA
SICISTISCVLTVSINREMCVRVANTIBVSENSES
TENIVEAIVVATARCEFRVIPONTIDECVSAVGET
ROMASORORVETERESTVSCOSQVOSORETVEMVR
ALMETVASLAVRVSAETASSVSTOLLETINASTRA

In hac pagina [add. V: sequenti, Π_2: dextrorsum scripta] a monogrammo Christi [Iesu cdd.] oritur principium lectionis, ut pectore leuetur obscuritas. In qua duo uersus Graeci sunt, incipientes a laeua parte monogrammi, ex quibus unus eiusdem signi reliquis partibus functus media littera N terminatur

Τὴν ναῦν δείσωσμον, σὲ δὲ ἅρμενον εἰνὶ νομίζιν.

Alter inde descendens ad alueum nauis speciem gubernaculi partis suae fine concludit. Qui est talis

Οὔροις τεινόμενον σῆς ἀρετῆς ἀνέμοις.

Versus uero, qui aut a prora incipiunt aut a rostro aut a remis aut desub [V sub] prora, extremo puppis acumine terminati, texta inuicem [uicem Π_2, uicere V], alii alia [alii Vels., alia Π_2] uota circumcludunt. Qui sunt tales:

Nauita nunc tutus contemnat, summe, procellas.
Nigras nunc tutus contemnat, summe, procellas.
Tutus contemnat summis cumulata tropaeis.
Pulsa mente mala contemnat, summe, procellas.
Spe quoque Roma bona contemnat, summe, procellas.

* * *

Roma felix floret semper uotis tuis.

XIX. [IV.]

PRODENTVRMINIOCAELESTIASIGNALEGENTI
CONSTANTINEDECVSMVNDILVXAVREASAECLI
QVISTVAMIXTACANATMIRAPIETATETROPAEA
EXVLTANSDVXSVMMENOVISMEAPAGINAVOTIS
AEMVLAQVAMCLARIIGENITORISCALLIOPEAE
COMPOSVITTALINVNCMENSPERFVSALIQVORE
VERSIFICASHELICONINGAVDIAPROFLVATVNDAS
CLEMENTIQVENOVVMNVMENDEPECTOREVERSET
NAMQVEEGOMAGNANIMIDICAMNVMEROSACANENDO
SCEPTRADVCISGAZZAENOBISDATGRAECIADONA
SAECLAQVEBLEMMYICOSOCIALILIMITEFIRMAS
ROMVLALVXCONDIGNANOVISFLORENTIAVOTIS
VOTOSCRIPTACANOOALIMARSCARDINETECTO
IAMBELLISTOTVMMYSEVMPERPLECTERECIVEM-
VTPATEATRVBICONPARILIPETITAETHERAIVRE
NVNCFELIXPROPRIOSPACISMESCRVPEAVISVS
IAMSTIMVLATSIGNISEXVLTANSMVSANOTARE
GAVDIALAETVSNVNCPERMENOTATAVIAPHOEBVS
RETITOQVOQVETEXTANOVOCANELAVREAPLECTRO
ARTENOTISPICTAFELICIASAECVLAPLAVDENS
SICAESTVSVATISFIDODVCEPYTHIECARPENS
NVNCTVTVSCONTEMNATSVMMEPROCAXEGOVERO
NVNCMARESIGAEVMVALEAMBENEFRANGEREREMO
CARBASANOCTIFERVMTOTVMSISCRVPEATENDO
PVLPITADEPORTANSVISAMCONTEXERENAVEM
MVSASINITCONIVNCTATVOSPESINCLITAVOTO
MENTEMPERTORTVMFESSAMNONFRANGATHIVLCO
LAVSMEAFICTAPEDESTANSMAGNAMOLEDOCENDI
SIGNAPALAMDICAMLAETISSIMAFLVMINESANCTO
MENTEBONACONTEMNATSVMMISCVMSIBIAGONEM
VOTISPOSTFRACTVMMARTEMCLEMENTIAREDDET
SICNOBISLECTOQVOCRESCVNTAVREASAECLA
MOXLATIOVINCENSIAMBISVICENNIAREDDES
CARMINEQVAEPIETASMIRODENOMINEFORMET
FLORENOTANSVOTVMVARIODATPAGINAFELIX
AVGVSTAESOBOLISMEMORANSINSIGNIAFATA
IVDICETEVELTESTEPIOCONDIGNAPARENTIS
IVNGENTVRTITVLISFELICIAFACTANEPOTVM

In hac pagina organi species est XXVI uersibus depicta, in qua superior pars omnis heroico metro scripta est, cuius primus uersus XXV litterarum est, et inde singuli per ordinem, incrementis singularum litterarum, ad quinquaginta usque perueniunt, cuius numeri est ultimus uersus, qui primi uersus numerum duplicat litterarum, cum sit pari metro. Deinde per medium diversa rubrica scriptus est uersus

Augusto uictore iuuat rata reddere uota.

Qui quasi regulam organi designat. *In inferiorem partem* incidunt uersus qui loco collaborum [con labore] positi sunt et habent metrum iambicum dimetrum catalecticum, omnes litterarum octonum denum.

XXa. [XXIV.]

POSTMARTIOSLABORES
ETCAESARVMPERENNES
VIRTVTIBVSPERORBEM
TOTLAVREASVIRENTES
ETPRINCIPISTROPAEA
FELICIBVSTRIVMPHIS
AVGVSTARITESAECLIS
EXSVLTATOMNISAETAS
VRBESQVEFLOREGRATO
ETFRONDIBVSDECORIS
TOTISVIRENTPLATEIS
HINCORDOVESTECLARA
CVMPVRPVRISHONORVM
FAVSTOPRECANTVRORE
FERVNTQVEDONALAETI
IAMROMACVLMENORBIS
DATMVNERAETCORONAS
AVROFERENSCORVSCAS
VICTORIASTRIVMPHIS
VOTAQVEIAMTHEATRIS
REDDVNTVRETCHOREIS
MESORSINIQVALAETIS
SOLLEMNIBVSREMOTVM
VIXHAECSONARESIVIT
TOTVOTAFRONDEFOEBI
VERSVQVECOMPTASOLO

AVGVSTO VICTORE IVVAT RATA REDDERE VOTA

XXb. [XXV.]

OSIDIVISOMETIRILIMITECLIO
VNALEGESVIVNOMANANTIAFONTE
AONIOVERSVSHEROIIVREMANENTE
AVSVRODONETMETRIFELICIATEXTA
AVGERILONGOPATIENSEXORDIAFINE
EXIGVOCVRSVPARVOCRESCENTIAMOTV
VLTIMAPOSTREMODONECFASTIGIATOTA
ASCENSVIVGICVMVLATOLIMITECLAVDAT
VNOBISSPATIOVERSVSELEMENTAPRIORIS
DINVMERANSCOGENSAEQVARILEGERETENTA
PARVANIMISLONGISETVISVDISSONAMVLTVM
TEMPORESVBPARILIMETRIRATIONIBVSISDEM
DIMIDIVMNVMERORYTHMOTAMENAEQVIPERANDO
HAECERITINVARIOSSPECIESAPTISSIMACANTVS
PERQVEMODOSGRADIBVSSVRGETFECVNDASONORIS
AERECAVOETTERETICALAMISCRESCENTIBVSAVCTA
QVISBENESVBPOSITISQVADRATISORDINEPLECTRIS
ARTIFICISMANVSINNVMEROSCLAVDITQVEAPERITQVE
SPIRAMENTAPROBANSPLACITISBENECONSONARYTHMIS
SVBQVIBVSVNDALATENSPROPERANTIBVSINCITAVENTIS
QVOSVICIBVSCREBRISIVVENVMLABORHAVDSIBIDISCORS
HINCATQVEHINCANIMATQVEAGITANSAVGETQVERELVCTANS
COMPOSITVMADNVMEROSPROPRIVMQVEADCARMINAPRAESTAT
QVODQVEQVEATMINIMVMADMOTVMINTREMEFACTAFREQVENTER
PLECTRAADAPERTASEQVIAVTPLACITOSBENECLAVDERECANTVS
IAMQVEMETROETRYTHMISPRAESTRINGEREQVICQVIDVBIQVEEST

XXI. [XI.]

PAVCAQVIDEMCECINIFORSFRIVOLAHISQVOQ.IVNGAM
LVDICRASICNOSTRAPANGETTVAIVSSACAMENA
AMBIITHAECPLAVDENSFELICISNVMINEPHOEBI
CALLIOPEPARTITANOVISSIBIVINCVLACVRIS
FLEXIBVSVTPRIMISDISCORDIREGVLACVLTV
HINCALIASONETARTESVPERPYTHOIAFLEXVS
SICFACIESTOTIENSCVMCONFIRMAVERITAESTVS
SICANIMVSNECVICTVSINERSSITSAVCIVSIRIM
IMPLERIVARIASMETRICAEGRAVIORISOBARTES
TANDEMNOSSEDEIMEDITANTEMVIXLICETAESTVS
RITEVELITMEDIODVMINAGMINECOLOCATASTRI
EFFIGIEMTREPIDOQVEPARANSSERMONELATENTER
DICERENECMETVENSVINCTOSICOMNIAABORTV
PANGERESEDRVRSVMBASSVSNVNCPRODERECARMEN
IMPERATHICDOCILISMVSAEDEFONTEMEABVNT
ORDINECASTALIOTEXTIPERNOMINAVERSVS

In hac pagina deorsum scripta a prima littera primi uersus rubrica descendens usque ad octauam octaui et per amfractum ascendens et descendens usque ad paene ultimam eiusdem octaui uersus habet minio scriptum

Publilius Optatianus Porfyrius [Porfurius] haec lusi.

Item a prima novissimi uersus [usque ad octauam noni] per amfractum ascendens et descendens usque ad paene ultimam noni uersus habet scriptum heroicum uersum, qui dum redit fit Sotadicus et est hic

Omne genus metri tibi pangens optume Basse.

Item a prima littera sexti uersus ad tertiam octaui tres litterae HIC, et a tertia decima octaui ad quintam decimam sexti VER, et inde ad septimam decimam octaui SV, et inde *a* XXVII octaui ad uicesimam nonam sexti SVA, et inde ad tricesimam primam octaui RI, et inde a tricesima prima noni ad uicesimam nonam undecimi OCO, et inde ad XXVII noni LO, et inde a septima decima noni ad XV undecimi RED, et inde ad XIII noni IS, et inde a tertia noni usque ad primam undecimi PAR facit hendecasyllabum hunc

Hic uersus uario colore dispar.

XXIII. [XIV.]

I N G E M V I G R **A** V I T E R G R A E C V M M I S E R **A** T V S A M I C V M
C V I M E A M E **N** S **A** D M I S S A D O L E N S C V P **I** T **O** M N I A F A R I
S O L V S V T **H** A E C **O** C C V L T A L E G E N S S **E** C O N **C** I T E T I R A
V N D I Q V **E** A D F L I **X** V M V I N C L I S S O **N** T E M Q V **E** T E N E R I
S E D V I **T** A N S M V L T **O** S Q V O S F O E D **A** A D I V R G I **A** C O I V X
V O L V **E** R I T I R A T O S **N** E V C A N D I **D** A F E M I N A G R **A** E C V M
M O X **K** A R I S H E B E T E T **T** E L I S N **I** H I L I M P R O B A C **Y** G N I
D E **P** O S V I S S E V I D E N S **H** E L E **N** A M C V I G R A T I A B I **N** I S
M **A** I O R A D V L T E R I I S D O **N** O **M** I N A C V N C T A L I B E N T **E** R
M V S A S O N A T G R A E C I S F R **Y** X C O I V X C R E D E C A N E N T **I**

Hi decem uersus triginta et septem [octo B, *Π*2] litterarum hanc habent continentiam: unus [ita *Π*2, 'primus' B] uersus Graecis litteris scriptus est qui a prima nouissimi usque [ita *Π*2, nouissimusque B] ad ultimam eiusdem per amfractum ascendit et descendit

Μάρκε τεὴν ἄλοχον τὴν Ὑμνίδα Νεῖλος ἐλαύνει.

Cuius uersus litterae Gracae ad directum ordinem legentibus Latinis uersibus officio Latinarum litterarum obsequuntur.

I. *Mixta per amfractus diducunt carmina Musae*
II. *Seu cancellatos spatia in contraria flexus.*
III. *Seriem paramus ordinare acrius,*
IIII. *Amor poesis spissa gaudet exigi.*
V. *Possit coire docta rerum limite.*
VI. *Opus tuetur non necata parcitas.*
VII. *Speciosa sancta cultu,*
VIII. *Bene picta Musa metris,*
VIIII. *Breuiter fluas ut isto*
X. *Opus est per arta coetu.*
XI. *Audeo plenas*
XII. *Edere formas:*
XIII. *Picta notabo*
XIIII. *Iura Camenis.*

XXII. [XVIII.]

I. III. VII. XII.

MIRVMOPVSESTIVNCTOSENTALESEDEREVERSVS
SICQVELIGAREHEDERISPAVLVMTVDIEROGATVS
MOXADESENQVORSVMRAPIESQVIPRAEBEOFIXAS
SVMTVVSECPRIMISTVADISCIMVSVTTRIAFELIX
NECFALLAXTRIBVENSAVDACIINMVNERECLARVM
AEQVIPERESANIMVMNVNCCLIOCARMINAFIRMET
QVIPOTERVNTPANGIPONAMCEVSTAMINANORMAS
QVAEVERRANTSESEQVAEVINCVLAMITIACVRENT
TVDABISHASVIRESTVARVRSVMCOSEREPRAEMIA
AVSIBVSINMAGNISLAETAADCONTRARIACVRRAS
XI. IIII. AONIDVMNAMFONTEGRAVIMICATARSNOVAVENIS
IMMANESTPRORSVMAMPLEXVAVTTOTOCIVSONAS
PROSPICEREPLANTAREMODOSINMITTATVTITVM
ETPROIIECTANECETCONSVMTOINGLORIALIBRO
SISAPIVNTETNOSTRACVISVCCRESCEREACVMEN
PRAESOLIDVMDENSVMQVEANIMIDEDVCEREVIVA
CONGRVERECERNANTSTVDIOSEQVIBONACALLES
LEGIB.ABSTRVSISQVODCARMINACONSPICORATI
VIII. VIIII. BLANDEANIMIIVDEXQVIMORIB.OMNIAGISAVCTV
PRAEMIROOSTENDISSTVDIAINRECTOREPOLITA
TREVSICOLASQ.TVOSAVCTVSLAETABILESVMENS
INTVITVMQVOPROSPERAFACTAACGAVDIADONES
PVBLICANILPRIVSESTQVODVIETNOMINECVRAS
FASSITSIDONIISENSVMINPENETRALEPATRONI
NOSCEREQVAEPOSSISILLICNITOROCITEREIVS
CONDITVRABSTRVSAGENEROSVMCOGERECENSVM
V. XIII. PAVPERIEFLAGRANTGEMINISNOVAGAVDIAVOTIS
DIVESAPOLLINEISDEAVRATFOEDERAPLECTRIS
HICNOVITLAVDESDOCTVSQVAEQVEOMINETANTO
SVNTPRAEVISABONISTVDEXTERPROTINVSESTO
CVMSANCTISINSISTEFIDEFESTINVSINAMPLVM
CLEMENTIHAECNVTVAVGVSTVSTIBIDONABEATA
LAVDATOTRIBVETTECONSVLEPRAEMIACOMPLET
HINCTVATVNCFESTISNOTISEXNOMINAPLAVSVS
PLVRIMVSACPRVDENSRERVMQVISTORPEATVSVS
DEGENERIABSPEMOLITAPLVSINGRVITHINCIAM
SVSCIPEVOTOALACRIHOCMVNVSVIRBONECLARE

II. VI. X. XIIII.

XXIV. [IX.]

OQVITARTAREASPEDEFAVCESPROTERISALMO
OMISERATETVOSQVISIGNEATEMPLASVPREMI
ADNVISESSEPOLIPIALVCISREGNAPATERNAE
TVVIRTVSAETERNADEITECVMOMNIACHRISTE
TVNCPATEREXORSVSCVMMOLESOBSITAPIGRO
SQVALOREEMERSITPOSITOQ.ADRISITOPERTO
ANTEORTVSHOMINVMSANCTOTVDIVETONANTI
SECRETAEVIRESQVEMTVTVMMENSGENITORIS
SOLATENENSPRVDENSQ.DEIDEVSINTERIORIS
PRINCIPIISOBOLEMNVLLIVSVASTACRVENTO
QVODMORSREGNABATLETORATAGAVDIAFVDIT
OREMEDELLIFERONECPOENAPERPETEFRANGI
DEPVLSOSHOMINESPLACVITNATALIB.ASTRIS
TVMTVPROSTRATISVITAEVIASEDTAMENOLIM
PRAESAGOADMONITVTEVATVMFATACANEBANT
TEQVIAFECVNDVSPORROORTVSERRORAGEBAT
CONSILIIVTSVMMAMRERVMSATOREDIDITORE
OVEREPATRISSAPIENTIACHRISTEOPVLENTO
EXERTVSVERBODETRVSVMINVINCVLAMORTIS
MOXHOMINEMSVMISQVAEQ.ESTVISVNASALVTI
INFIMADIGNAREQVODNATVRAEORDINERECTO
VTPERCVLSALEVESINCLINEREIPSEIACENTI
NONETERRENOCORPVSTIBIPONDERETRACTVM
PRAECELSOSEDVIRGOVTERVMDESEMINEFETA
NECSEGNICOITVNATVSSEDCONIVGECAELOES
CORPOREVSVVLTVDEVSACTVCASVSVTRVMQVE
INVITANSIVSSAEXEMPLISHOMINIQ.DICATVS
AEQVALISDOMINVSQVIALISONEROSACADVCO
DICTASITHVMANOSPEREMVTDIVINAIMITATV
IPSEHOMINISTITVLOINCEDISTEQ.PROFANIS
MAXIMEIVDAEISPLECTENDVMPOSTPIAMILLE
MVNIAPERMITTISLETVMQVESALVBRELVISTI
MOXNECATHVMANASINSECAROPENDVLANOXAS
ATPATERINSEDESNATVMRECIPITQVEVEHITQ.
AETERNVMSALVISSIGNVMDATMACHINASACRA

Omnipotens genitor tuque o diuisio mixta,
Filius atque pater et sanctus spiritus unum!
Faueas uotis!

XXVI. [II.]

VIDESVTARASTEMDICATAPYTHIO
FABREPOLITAVATISARTEMVSICA
SICPVLCHRASACRADISAGENSPHOEBVMDECENS
HISAPTATEMPLISQVISLITANTVATVMCHORI
TOTCOMPTASERTISETCAMENAEFLORIBVS
HELICONIISLOCANDALVCISCARMINVM
NONCAVTEDVRAMEPOLIVITARTIFEX
EXCISANONSVMRVPEMONTISALBIDI
LVNAENITENTENECPARIDEVERTICE
NONCAESADVRONECCOACTASPICVLO
ARTAREPRIMOSEMINENTESANGVLOS
ETMOXSECVNDOSPROPAGARELATIVS
EOSQVECAVTESINGVLOSSVBDVCERE
GRADVMINVTOPERRECVRVASLINEAS
NORMATAVBIQVESICDEINDEREGVLA
VTORAQVADRAESITRIGENTELIMITE
VELINDEADIMVMFVSARVRSVMLINEA
TENDATVRARTELATIORPERORDINEM
MEMETRAPANGVNTDECAMENARVMMODIS
MVTATONVMQVAMNVMERODVMTAXATPEDVM
QVAEDOCTASERVATDVMPRAECEPTISREGVLA
ELEMENTACRESCVNTETDECRESCVNTCARMINVM
HASPHOEBESVPPLEXDANSMETRORVMIMAGINES
TEMPLISCHORISQVELAETVSINTERSITSACRIS

Haec pagina iambico trimetro [bimetro] acatalectico scripta, seruata ubique lege metri, arae imaginem facit.

XXVII. [XII.]

PRAECELSAEQVERCVSFRONDENTIINVERTICEPENDENS
TESTORTEMPLALOCIFAVNOSCELEBRAREFREQVENTES
DISPARIBVSCONPACTAMODISTOTIDEMQVECICVTIS
DVLCISONOPANVMOBLECTANSMODVLAMINESILVAS
NAIADVMDRYADVMQVECHOROSARCANAQVEBACCHI
ORGIAETHEVVANTISSATYROSPERMVSICATEMPE
MEPANADTHIASOSDOCVITMODVLAMINACANTVS
ETVARIATASONISVINXITCONSORTIAPRIMVS
ALMVSAMANSATTISTVAMAXIMACVRACYBEBE
MEROSEOTERITOREDECVSMOLLIQ.LABELLO
ACCENDITQVETVOSIDAEOSMATERAMORES
MENONFELICESANIMAVITMARSYAMVSAS
MEIVDEXFORMAEALTAGESTAVITINIDA
MELAETISOCIAMVOTIVICINAMARITO
EOOLVCISCANITINVITATASVBORTV

Haec fistula est ['ita' add.] uersuum heroicorum quindecim, a primo uersu usque ad ultimum per singulas litteras deficiens.

I.

INDEX CARMINVM.

II

NVMERI CARMINVM

Ed. Vet.	Ed. nostr.
I	I
II	XXVI
III	XV
IV	XIX
V	III
VI	II
VII	XII
VIII	XI
IX	XXIV
X	XVI
XI	XXI
XII	XXVII
XIII	XIIIa. XIIIb
XIV	XXIII
XV	V
XVI	XIV
XVII	VIII
XVIII	XXII
XIX	XVIII
XX	IX
XXI	X
XXII	VI
XXIII	VII
XXIV	XXa
XXV	XXb
XXVI	XXV

III.

METRA CARMINVM.

Porfyrii artificiorum potissima cum libro nostro (pg. 466 sqq.) sint repraesentata, reliqua aut scholiis adiectis apte illustrentur aut ipsis litterarum formis facilia se praebeant ad cognoscendum, hic loci satis habemus enumerare uersus, quasdam proprias Porfyrii metricae artis insolentias in indice grammatico propposituri.

I. uersus heroici.
II. disticha.
III. uersus adonii.
IV. trimetri iambici, qui admittunt aliquando locis paribus spondeum.
V. sotadei.
VI. penthemimeris iambica.
VII. anacreontei.
VIII. metrum ex penthemimeri iambica (seu parte anacreontei) et anacreonteo mixtum.
IX. hendecasyllabus phalaecius.

IV.

INDEX NOMINVM.

NOMINA LATINA.

NOMINA GRAECA.

V.

INDEX GRAMMATICVS.

Formae verborum eae, quas ipsa Porfyrii artificiorum ratio tuetur, litteris expressae sunt cursivis.

Keep 7.88